63088/B



Jn.o Lewis Petit M:D.

Coll. Regal. Med. Lond. Soc. S.R.S & S.S.A.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
RIDLEY, H.

copy 1

XXI

OBSERVATIONES

Quædam Medico-practicæ & Phyſiologicæ; inter quas aliquanto fuſiùs agitur.

DE
ASTHMATE
ET
HYDROPHOBIA.

MEDICAL SOCIETY

Quarum etiam Decem ultimis ſubjiciuntur ADMINISTATIONES totidem Corporum morbis quorum Tituli Obſervationibus iis præfiguntur affectorum ANATOMICÆ, cum particulari, & non ante obſervata.

DE

Cordis in *Embryone* Vaſorum *ſtructura*, & ſanguinis juxta eam circuitu DISSERTATIONE.

Autore

HUM. RIDLEY, M. D.

Coll. Reg. Med. Lond. Soc.

LONDINI,

Impenſis *Jacobi Tonſon*, ſubter Portam Orientalem Hoſpitii Grayani. 1703.

AD

LECTOREM.

QUanti olim fuit Medicina pretii apud Veteres, cum ſcilicet Inſtitutores ejus primum floruerunt, & quamdiu à profano vulgo, & imperitorum grege tuta, cum omni bonarum artium diſciplina enutritis habitabat, ab iiſque indies exculta exerceretur, ſermone longo, te monere Lector, *modo in memoriam tuam ulla priſcorum temporum venerit notitia, haud opera prætium eſſe duxi. Hujus veritatis fidem tibi facient, luculentiuſque teſtabuntur tot marmora, æra, templa, & (ne ulla honoris inſignia deeſſent) tot etiam delubra eorum nominibus, erecta & conſecrata.*

Quibus autem mediis, quibuſque gradibus, ad tam præclaram artis hujus reconditiſſimæ pervenerunt cognitionem, vix ulli eorum ſcriptis ſatis diu verſato dubium eſſe poteſt. Inſtar omnium

ſint nobis ea vetutiſſima in exemplum à divino ſene fulgentiſſimo illo medicinæ ſydere Hippocrate *tranſmiſſa, ubi fere vel ex qualitatibus rerum ſenſibus noſtris obviis, vel ex aſſidua morborum obſervatione, vel ex accurato corporum ſtructuræ ſcrutinio, & ad leges mechanices applicato, deprompta reperies omnia.*

Nec ſane ullis aliis mihi unquam viſum eſt rationibus ſcientiam hanc indies magis promoveri, quam quibus feliciter adeo primum incepta eſt. Arduum fateor, ſi non audax aliquibus videri poteſt ſtupendum præſtantiſſimi hujus Viri ingenium æmulari; cum autem eadem nobis ſubjaceat natura contemplanda; iidem in omnes fertili ejus ſinu latentes divitias nobis pateant aditus; Iidem tractandi nobis veniant morbi; Quibus etiam eos expugnemus proſtent eadem (ne dicam plura) nobis remedia. Quid vetat quo minus ex his quæ cum illo nobis communia ſunt, ad iſta quæ nobis laudi, & facultati noſtræ decus ſit proſequenda

ori-

origamur; & ex iis quæ illi æquiori longe jure competant, inſignioribus nempe animi ejus dotibus, ad ea tandem conſequenda quaſi ſtimulis incitemur.

Abſterritus quidem fueram ab omni qualicunque hujuſmodi incepto, quotieſcunque illius, & aliorum Principum quorundam virorum opera ob oculos meos ponerem, ſi mihi conſiderationes præfatæ de novo non dediſſent animum. Cæterum cum mihi conſcius eſſem, me nihil unquam (abſit omnis jactantia ſeu inanis gloriæ aucupium) quod non Obſervationum veritati, experimentorum certitudini, intenſæ animi applicationi, probæque quæ ex iis omnibus eliciciſſem narrationi inniteretur, publico deſtinaſſe, majori longe tenue hoc opuſculum alacritate, & fiducia aggreſſus ſum.

Magni quidem eorum ſolertiam, me ſemper æſtimaſſe fateor, qui in intimam corporum, tum ſolidorum, tum fluidorum ſtructuram conſpicillorum ope inquirendo, plurimas prius quaſi in alto demerſas veritates in apricum protulerunt. Quicunque

cunque autem ſecum quantum inter eorum corporis noſtri humorum nativis ſuis adhuc canaliculis coercitorum, vitalique ſpiritu caleſcentium, & eorundem iis exemptorum, vitaque ſpoliatorum conſtitutionem ſit diſcrimen perpenderit, facile illi conſtare puto, quam ſit illis difficile ſi non penitus impoſſibile, in utcunque corporum eorum minutiarum cognitionem devenerint, appropriatas utileſque ullas medendi intentiones elicere. Unicum igitur hic ſolum adjiciam, me plus Medicorum ſolertiæ in phœnomenis *a natura cum morbo prælianti emergentibus ſerio ſagaciterque expendendis; quibus etiam notis quaſi characteriſticis morbi mira aliquando ſimilitudine ſymptomatum quorundam inter ſe conjuncti, etiamſi ſpecie diſcrepantes, à ſe invicem diſtinguantur; ſedulo ediſcendis; iiſque pariter intentiones medicas debite adaptandis occupatæ, in morborum ſanatione ſemper tribuiſſe, quam ullorum circa eos in hypotheſibus utcunque concinne extruendis,*

(quoti-

(*quotieſcunque ſcilicet iis deſit ſenſuum nudorum certitudo,*) *dexteritati.*

Quo jure, qua veritate, quo domum eventu hæc a me dicta ſunt, ſequentes uti ſpero fidem facient Obſervationes; de quibus hic monere habeo, me in iis aliquando prolixius egiſſe, ubi ſcilicet, pars iſta Pathologiæ quæ circa evidentes morbi cauſas vel ejus ſymptomatum varietatem verſetur, id exigeret, ſine quorum ampla & fideli enarratione non niſi obſcure aſſurgant morbi Ideæ, & conſequenter minus congruæ medendi intentiones; aliquando brevius, quoties in illis unquam conſiderationes phyſiologicæ ſeſe offerrent, cum nempe de iis quæ pro maxima ſaltem parte ſenſuum noſtrorum externorum notitiam effugiant, & proinde non niſi mere conjecturaliter agendum eſſet; ultimo tandem, breviſſime aliquando & maximo quo fieri potuerit compendio, quoties nempe natura morborum vel methodi alicujus particularis, vel medicamentorum quorumvis appropriatorum uſum poſtularet, quorum vel unius, vel alte-

alterius, efficaciam habueram in eorum curatione experientia longa ſatis exploratam.

Quoad Diſſectiones *hoc velim advertat* Lector, *quod cum ſemper mihi ratum eſſet, non ſolum veritates plures alto alias ſilentio dormituras ex iis poſſe erui, & errores impoſterum præcaveri, quin etiam aliis, qui me longe ſatius e naturæ Hiſtoria notiones in utilitatem publicam ex iis elicere norunt, aliquo forſan poſt tempore uſui fore, me diligentiam ſummam (quantum res paterentur) in iis exornandis adhibuiſſe.*

Quo tandem dicendorum finem faciam, ſatis tibi conſtare ſpero, me omni ſepoſito, vel quod ex aſſidua ægrotantium cura, vel ex cadaverum putreſcentium ſectione occurreret moleſtiæ, vel laboris faſtidio, utilitatem tuam otio meo prætuliſſe.

OBSER-

Explicatio Figurarum.

Figura Prima.

a b *Foramen Ovale ſeu Rotundum naturali aliquanto majus.*
c c c *Valvula ejus.*
e *Ejus apertura.*
d d *Sanguis per eam transfluens.*

In reliquis tribus Fig: eædem literæ eadem denotant.

Figura Quinta.

Deſumebatur hæc figura à Corde fœtus in ſpiritu vini integri per aliquot annos conſervati, & poſtea aperti, ubi vaſa ſtatu ſuo naturali, coagulato in iis ſanguine, adhuc apparent; & proinde cum nullam ad iſtiuſmodi exemplar naturalē excuſam hactenus videram, eam hic cum aliquot pluribus quam exigebant Schedæ præcedaneæ explicationibus exhibui.

A *Cor.*
b *Auricula dextra.*
c *Auricula ſiniſtra.*
d d *Pulmones.*
e e *Arteria aorta.*
f *Arteria dextra ſubclavia.*
g *Arteria ſubclavia ſiniſtra.*

h	*Arteria Carotis dextra.*	*utræq; cranium verſus ampliores.*
i	*Arteria Carotis ſiniſtra.*	

k k *Arteriæ cervicales ſeu vertebrales dextra & ſiniſtra per vertebrarum colli proceſſus uſque ad cerebrum tranſmiſſæ.*

l l *Rami ejus utrinque inde exeuntes.*

m *Arteira Pulmonalis, ſeu Vena arterioſa.*

n *Canalis ſeu Tubulus arterioſus.*

o *Nervus 8 paris ſeu Par vagum.*

p *Plexus ejus inferior altior hic quam in Tabulis* Williſ: *vel* Vieſſen:

q *Ramulus hic diſtinctus ab hoc plexu deſcendens & Nervum recurrentem conſtituens abſque reflexione ulla ſuper Arteriam ſubclaviam, num ita à natura, an per aliquod accidens in ſectione neſcio.*

r r *Nervus recurrens dexter.*

s s *Rami aliquot num nervei vel ſanguinei neſcio ab hoc plexu in Nervum recurr: & ulterius propagati, eorum inſtar qui in* Willis *Fig: à Nervi intercoſtalis plexu medio diſtribuuntur.*

t t *Nervus intercoſtalis cujus plexus gangliformis medius hic deeſt.*

v *Plexus ejus Thoracicus.*

w w *Plexus ejus ſuperior.*

x *Trachea.*

✠ *Vena cava deſcendens abſciſſa.*

5. a




Fig: 1 a 2 d a 3 a 4 a



OBSERVATIO I.

De Cholera.

GEneroſa quædam quadragenaria, athletico Corporis habitu donata, cum tribus ab hac Urbe plus minus miliaribus pedibus feſtinantiùs æſtivo tempore contendiſſet, anhela tandem & ſitibunda, poſt hauſtum cerviſiæ minus defecatæ liberaliorem, in atrocem primùm Ventriculi anxietatem, poſtea in enormes ſurſùm & deorſùm ejectiones incidit.

Domum in rheda reverſa, ſtatim Pharmacopolam accerſivit, qui ſubitanei hujus affectus cauſam in crapulam rejiciens illi tincturam *Cardui Ben:* copioſè propinavit, & poſtea Cordialia varia pro more ventriculum roborandi gratiâ adminiſtravit. Die ſequenti, cum nullum ex hiſce Medicamentis fructum percepiſſet, me accerſivit. Ægram crebris profuſiſque vomitionibus iiſq; variegati coloris acerbiſſimis Ventriculi cruciatibus comitatis, & Convulſionibus flatulentis perſingulos artus ſævientibus, eas quotieſcunque remitterent, alternatim ex-

cipientibus, adeò dilaniatam cùm vidiſſem, eam Cholera laborare indiciis ſatis apertis judicavi; Morbo colicæ bilioſæ etiamſi admodum affini, in hoc tamen ab eo divergenti, quòd ea laborantes à principio inteſtinorum doloribus, & iiſdem poſtea in Morbi progreſſu quaſi per intervalla quædam atrociusſævientibus, manente etiam per totumMorbi decurſumalvo aſtrictiori ſolent affici, ſecus ac in hac ægra accidiſſe cernimus. A Colica etiam hyſterica per ſigna prægreſſa, ſymptomatum etiam vehementiam & durationem ſatis diſtinguendo; quippe, præterquam quod raro accidit quin ægra utpote nativa ſua indole eò proclivis, prius aliquibus iſtius morbi ſymptomatis conflictata fuiſſet, communiter, niſi in conſtitutionibus præfervidis & magnopere plethoricis (ubi quidem ſymptomata utriuſque minus à ſe abludunt & curationes propius accedunt,) Morbus ille, colica ſcilicet inſtar navis ſe habet quæ pelago ſolito ſolùm efferatiùs ſpirante vento ſupra modum agitatur, hic autē inſtar illius, quæ ōnibus portis Cœli recluſis, ab exorta inopinatò procella ruina haud ineluctabili & repentina periclitatur.

Quam primùm igitur, cum ab exhibitione Tincturæ Cardui, unde ejuſdem coloris cum humoribus ſurſum vomitione rejectis, ſedes plurimas habuiſſet, alvus jam per aliquot horas ſnbſtitiſſet, enematis injectionem

nem conſului, quo aliò avocatis ſordibus minori earum onere premeretur Ventriculus. Quo peracto, proximo loco cum affectum hunc à violenta humorum in corpore ſuccis vitioſis ſcatenti commotione per ambulatiorum ſolito concitatiorem facta, ſuperveniente etiam liberaliori cereviſiæ frigidæ & fortè nondum ſatis fermentatæ ingurgitatione,(unde eorundem humorum in viſcera Ventriculum præcipuè affluxum & ibidem eorum orgaſmum contigiſſe veriſimile eſt) ortum ſuum duxiſſe animadvertiſſem; eò dirigi primariò medendi methodus videbatur, ſcilicet, ut humores quantum liceret in hoc ſtatu ægrotæ adeo debili, uti ex Pulſu exili & depreſſo plane deprehendebam, aliter enim Sanguinis miſſionem ſuaſiſſem (cujus proculdubio in initio omiſſionis graves poſtea per totum morbi decurſum luebat ægra pœnas,)è ſuis conceptaculis educerem partim, partim & eorundem aciem & Cuſpides obtunderem, quo citiùs tutiùſque motus ſpirituum enormes inde exorti compeſcerentur.

Priùs autem quàm methodum hanc inire potuiſſemus, dum ſcilicet ei exequendæ neceſſaria præpararentur, mens erat Mixturæ Riverianæ, cujus exhibitionem in aliis vomitionibus magnoperè probatam habuimus, & qua ipſemet in vomitionibus febribus malignis ſupervenientibus præcipuè uti

 ſolebat

ſolebat, vim, dato hoc intervallo experiri.
℞ *Sal Abſynth.* ℈ i. *Suc. Limon Cochl.* 1. *ſſ. mixtura in Cochl. ipſo exhibenda.*

Non diu in ſtomachum mixturam hanc admiſiſſet, quin eam rejecit cum magna Phlegmatis viſcidi, acidique portione, quod in hoc affectu minus ſuſpicaretur quiſpiam, cum hactenus fere ſemper humori bilioſo ortum ſuum debuiſſe hunc morbum paſſim crediderunt Medici, & cum ſecunda & tertia vice ejuſdem exhibitio repetita eſſet, adeo inſigne enormis iſtius vomitionis inſequutum eſt levamen, ut inde ſperaſſem me compendioſum huic Morbo exitum dediſſe; cum autem interjecto aliquo temporis ſpatio, non adeo feliciter rem ſucceſſiſſe videram, omni ſepoſita mora *Aq. Pulli (i.e.)* ejus in ſufficienti aquæ q: *Decoctionis* factæ hauſtus aliquot debitis intervallis tepide propinari injunxi, quos & repeti curavi, uſque dum ejuſdem ſumpſiſſet rejeciſſetq; majorem congii unius portionem; Poſtea injecto etiam rejectoque ex eodem Decocto Enemate, Bolum ſequentem præſcripſi ſtatim devorandum.
℞ *Ther. Androm.* ʒ i. *Pul. e ch.* c.c. gr. xv. *Caſt.* gr. iii. Ms. f. Bolus ſtatim ſumendus, & ſi exiguo ſolum tempore illum in Ventriculo detineri contingat de novo quamprimum, etiam & tertia vice ſi, opus fuerit, aliter non niſi poſt bihorium repetendus.

Omnes

Omnes intra unius horæ ſpatium, abſq; ullo emolumento evomuit, adhuc adeo urgente vomitione; ac ſi cum ea animam afflaret. Jam igitur quo nodo duriori, duriorem cuneum affigerem, Pilulam ſequentem vellem adminiſtrari. ℞ *Opii crudi* ſordium quantum fieri poteſt expertis gr. iß. ff: Pilula eodem modo ac Boli ante præſcripti pro re nata ſumenda repetendaque; Ter pari prorſus ſucceſſu hanc ac illos ſumſit; Quicquid præterea vires reficiendi gratia aſſumpſerit, ſtatim à ſtomacho aciſcens vomitu expellebat. Num igitur in ſtomacho cum Pulli Decocto abluendo, vel in Paregoricorum exhibitione progrederer multum dubitavi.

Pro priori methodo militabat argumentum quòd ab ægra producebatur (*viz.*) quod ſemper poſt Bolos vel Pilulas ſumptas ingraveſcebat ægritudo Ventriculi, donec vel has vel illos foras ejeciſſet. Pro poſteriori ſtabant profuſæ illæ quæ jam per biduum præceſſiſſent evacuationes, ita ut habita ratione ad aſſumpta vix mihi concipi poſſe videbatur, ut vel aliquid intus adhuc inimicum lateret, vel non ſatis fuiſſet ablutum. Tandem mihi conſcius factus, quod potius medicamenti quantitate quam ejus Electione erraſſem, ferme mecum ſtatui ad *Opium*, quaſi ſacram anchoram, præſertim cum adeo dubio & periculoſo ſtatu

res ægrè verſari videbantur, ſemel iterum confugere, idque hac vice in formula ſequenti, Stomacho aciditate peccanti forſan non incommoda (*viz.*) ℞ *Pil. Mathei* ea q. quam ingrediuntur *Opii* gr. ii. f. Pilula ſtatim ſumenda, & pro re nata repetenda.

Notabile ſatis attulit levamen hæc prima doſis, aliquantulum ſaltem pacatius ſe habente ventriculo, qua propter quo penitus facultatem expultricem uti veteres eam nominare conſueverunt, devincirem, repetitionem ejus elapſis aliquot horis conſului & tertia vice etiam ſi opus eſſet, etſi longiori temporis intervallo; Hinc ex ſecunda ejus exhibitione adveſperaſcente tertio die irrepſit ſomnus ad aliquot horas protractus; ex quo autem experrecta de aliquali adhuc ægritudine querebatur, cum levi ad vomitionem proclivitate; monitus igitur de hoc rerum ſtatu, turbidaque adhuc etiam uti a principio manente urina, hortabar ut ad uſum Decocti Pulli confugeret, quoties expergiſceretur ægra & ſe ullatenus ad Vomitionem proclivem ſentiret; inde ſperans fore, ut aliqua pars Decoctionis per vomitionem, cum humoribus noxiis & male coleratis rejiceretur, reſidua forſan intus manente & in nutrimentum faceſſente.

Hoc modo tranſivit noctem partim ſomno, partim abluendo Ventriculum cum A-

qua

qua Pulli inſequente levi aliqua vomitione.

Quo antem omnem recidivationis metum præſcinderem, adſtantes ſub veſperam priuſquam diſcediſſem monueram, ut poſtquam ſemel poſt ſomnum copiosè ſe proluiſſet cum Decocto ſupra memorato, Pilulam unam de novo ſumeret; unde quidem in ſomnum per horas 5 vel 6, iterum prolapſa omnium poſtea ſymptomatum immunis, cùm vomitionum tum convulſionum evaſit.

Die quarto ordinario ſuo tempore è more eruperunt menſes, ſub quorum primo ingreſſu invadabant eam dolores vagi & atroces per artus ſingulos alternatim diſcurrentes, ab humorum acrimonia vereſimiliter, novo intus à natura concepto orgaſmo, hoc tempore Sanguini familiari exorti, quoniam una cum iis recedebant.

Deſinente Morbo poſtulat ratio ſcribendi obſervationes, ut deſinet etiam obſervatio. Hic autem operæpretium eſſe duxi, ut monitum unum Lectori forſan non inutile ſubnecterem, idque eſt de ingenti impendenti periculo in nimis exigua à quacunque domum cauſa exoriatur hæc affectio, & utcunque exili, vel occluſione ſcilicet fonticuli, *Reidlino* notante Obſ: 38, Paregoricorum adminiſtratione, cum bis in cadaverum ſectione ab errore illo natam vidi Ventriculi ſyderationem; prima fuit inſtantia in quodam hydropico à medicamento

nimis violenter & diu operanti, à Muliere medicaſtra exhibito, cujus jecoris ut id obiter hic notem, acinoſiæ illæ glandulæ à Malpighio primùm detecte integram ſuperficiem forma & magnitudine Uvarum obtegere. Alteram habebis in obſerv. infra in caſu cujuſdam filiolæ de Vomitione mortuæ & poſtea diſſectæ.

Hinc etiam quo plus ponderis habeat monitio adjiciam, me ſemel cum ruri praxin exercerem, vocatum fuiſſe ad Viatorem quendam morbo hoc abſque ullis ſignis præcurſoriis inopinatò correptum, qui dum illi ſuccurrere humores clyſteribus deorſum ſollicitando, & eoſdem quibuſvis mediis contemperando & abluendo inſiſterem, intra ſpatium 20 horarum violentia Morbi coactus vitam cum morte commutavit; equidem ſi quid ſentirem liceat proferre, dico me facile adduci credere, quod quantumcunque bilis vel potius humores alii ſub ejus colore flavo & viridi larvati tragica hac ſcena ludere videantur, plus tamen ſubeſſe revera in ea Convulſionis ſi penitius rem inſpiciamus, præſertim, ſi in Obſ. *Jo. Rhodii* juxta ipſius Opinionem ad hanc & non ad Hyſtericam paſſionem referatur, morbus ille ex ſola ſpirituum excandeſcentia ortus, quam vulgo adhuc eſſe creditur.

Pet. Borrel. Obſ. Cent. 2. *Obſ.* 27.
Vid. *Phil. Tr. an.* 1666. p. 550.

OBSER-

OBSERVATIO II.

De Catameniis incerto ordine fluentibus.

GEneroſa quædam illuſtriis Familiæ 32 annos nata, admodum venuſta morum ſuavitate donata, & quoad apparentiam externam ſpirituum & corporis eucraſia donata, cum jam Annos 6 vel 7 nupta eſſet, nondum autem prole ditata in uteri Hemorrhagias incertis temporibus, idque cum atrocibus iſtius partis cruciatibus incidit, catameniis quæ benigne olim & ſtatis temporibus una vice confluere ſolebant, jam eodem temporis ſpatio frequentius nulloque obſervato ordine impetu quodam, paroxymorum more, dolorifico erumpentibus. Diu hoc affectu moleſtiſſimo laboraſſet & multiplicia in ejus Medelam ſumpſerat Medicamenta, quin infructuosò omnia. Conſultus ſuper hoc caſu, me hanc ægritudinem earum nnmero habere dixi, quæ inter hyſtericas recenſentur; De hoc dubitavit, inſtiti etiam Chalybeata Medicamenta hic locum habere; Plane ſtupuit, ac ſi ſententiam prorſus novam & omni Experientiæ reluctantem tradideram. Iſtius enim farinæ medicamenta ſe ſemper audiviſſe in Caſubus

bus illis contrariis præ cæteris propria fuiſſe, & magnopere prodeſſe, at ex conſequentia in ſuo maxime eſſe ſuſpecta, & haud abſque periculo admittenda.

Reſpondi pro cauſæ varietate, varios, imo contrarios unius & ejuſdem medicamenti effectus, quod prima facie paradoxum videbatur, produci poſſe: Puta, in temperamento bilioſo, ubi levi quavis occaſione in Ebullitionem inirent humores, vel in ſtatu Corporis maximo plethorico, ubi vaſorum capacitas haud ſatis copiæ fluidorum reſponderet, accedente etiam victu è Cibo & Potu natura ſua calidis & exceſſu etiam peccantibus, chalybis uſum haud immerito ſuſpectum eſſe, utpote indole ſua ad ebullitionem in Sanguine ciendam maximè proclivis. Cum autem hic in ejus Caſu nihil eorum repertum eſſet, & cauſam longe aliam & diverſam eruptionum anomalarum quibus tam atrociter afficiebatur, ſubeſſe augurarentur, violentos (*viz.*) ſpirituum animalium in partem iſtam excurſus, unde adeo contraherentur partium illarum per quas tranſcurrunt vaſa Sanguinis reductioni inſervientia, fibræ motrices, ut pro tempore per vaſa iſta quaſi ligata Sanguinis introitus ſolenni more omnis denegaretur, hic de ejus uſus ſalubritate me neutiquam dubitare; Præterea adjeci me tunc temporis circa ægram quandam verſari,

ſari, quæ ex levi quavis occaſione hyſteri ca fieri, & quoties Paroxyſmo afficeretur, copiam Sanguinis è Stomacho rejicere, & ſemper quoties nimis diu Chalybis uſum intermitteret, in Sanguinis effuſionem frequentiorem gravioremque ſolebat incidere.

Hiſce argumentis tandem victa methodum ſequentem ſibi propoſitam libenter per aliquot dies cum maximo emolumento ſuo ſequuta eſt.

℞ *Decoct. Amar. cum ſennæ* ℥ i. ß. *præp:* ℥ iv. ff. Hauſtus mane ſumendus cum regimine.

Poſtea perſiſtat in uſu Elect. & Tincturæ ſequentium ad ſeptimanas 3.

℞ *Cons Abſinth. vulg.* ℥ i. *Limat ferri* ℈ iv. *Tart. Vitr.* ℈ i. *Syr. de Chalyb* q. ſ. Ms. f. Elect: de quo ſumat q. n. m. mane, & h. 5. p. quotidie, ſuperbibendo c. iv. ſequentis Tincturæ. ℞ *Limat. Chalyb.* ℥ ii. *Aq. Lact. alez.* ℔ i ß. *Gent. c.* ℔ ß. *Abſinth. min. c.* ℥ iv. *Rad. Gent. inciſ.* ℨ i. ſummitat *Centaur. min.* p. i. *Abſinth. vulg.* p. ß. Stent frigidè infuſ. dies decem aſſiduo Vitrum agitando, Poſtea filtretur ad uſum.

Alvo aſtrictiori exiſtente repetatur Potio Purg. ſemel in ſeptimana.

OBSER-

OBSERVATIO III.

De Convulſionibus & Cephalalgia à contagio Venereo oriundis.

VIR quidam gracilis, at lacertoſus vigente adhuc ætatis flore, cum jam ad prandium conſeſſurus erat, nulla omnino præcurſante ægritudine derepente ἀναισθησία &Convulſionibus partium externarum correptus eſt. Incunctanter advocato Medico ædibus ſuis vicino, mittebatur Sanguis, Medicamenta varia paroxyſmi violentiæ coercendæ idonea præſcribebantur, & cauſæ ejus præſcindendæ vel ſaltem minuendæ gratia Emplaſtra varia Epiſpaſtica locis corporis appropriatis ſuperimponebantur. Excuſſum ſtatim paroxyſmum excepit dolor ſiniſtram ſincipitis ejus partem uſque ad oculum ejuſdem lateris circumſcribens adeo excrucians, ut Vigiliis & inappetentia per unam ſeptimanam & alteram nihil adhuc proficiente Medicina tantum non fractus, tandem me conſuluit. Ægrotum de oculo ſiniſtro quaſi intus retracto & aliquantulum inflammato, collapſis fere palpebris, primo meo adventu cum illum aſpicerem, admonui. Id ſe advertiſſe reſpondit, & affectum i-

ſtum

ſtum ordinario ſibi contigiſſe, quoties ſcilicet aliqua cauſa frigore (*viz.*) ſeu intemperantia, humores præternaturaliter fuiſſent agitati. Hiſce mihi indicatis, affectum hunc Epileptico proximum, è numero eorum eſſe qui à ſpirituum animalium læſionibus oriuntur, nullus dubitavi; cum autem è pulſu ejus exiguo & debili facultatis etiam vitalis collapſum percepiſſem, de Methodo ſequenti quæ utrique indicationi, animali (*viz.*) tum vitali ſatisfaceret inſtituenda cogitavi; Omiſſa omni genere evacuationis tum quod plures antea Purgationes ſubierat, tum quod æger ob omni cujuſcunque generis plethora quoad Corporis conſtitutionem quam longe aberat. ℞ *Tinct: Chalyb: Amar:* (*cujus formula in Obſ: præcedanea extat*) ℥ ii. f. Hauſtus mane & h. 6 p. m. ſumendus quotidiè ad dies aliquot, interponendo laxativum aliquod medicamentum è lenioribus, uti *Caſs. recens extr.* ʒ vi. *cum Tart. Vitr.* ℈ i. vel in Bolo per ſe, vel *Decoct. Hord.* ℥ iv. ſemel in ſeptimana pro re nata, ſi ex ejus uſu Ventris aſtrictio accideret, ℞ *Sp. Sal Arm. ſuccinat. Sp. Laven. c. an.* ʒ ii. *Tinct. Caſtor.* ʒ i. Ms. Sumat gr. xxx. in Mixt. ſeq. ℥ iv. Cubitum iturus ſingulis noctibus, & quovis alio tempore in languoribus ad libitum. ℞ *Aq. Ceraſ. ni. Meliſſ. Rutæ an.* ℥ ix. *Peon. c. Bryon. c. an.* ℥ ii. *Sach.* q. ſ.

Caſt.

Caſt. Ruſs. opt. ℥ii. *nodulo ſuſpens.* Ms. Continuata per ſeptimanas aliquot hac Methodo non adeo languebat appetitus, nec ut ante erat inſomnis. Cum autem non pro votis ſatis in affectu hoc moleſtiſſimo debellando reſponderet hæc Methodus, conſului ut Emplaſt. Veſicatorium ſuper totum caput raſum per dies aliquot geſtaret, ſordibus pro more ſemel in 24 horis leviter pannis lineis deterſis. Paruit & Nycthemeri unius ſpatio plurimum remittebat dolor ille effrenis, poſt biduum plane evanidus; Præcautionis autem gratia ad 3 inſuper dies applicationem hanc importunam pertulit.

Diſparente jam penitus dolore rediit appetitus, & quo citius ad priſtinum Corporis habitum reſtauraretur (nam tum ex morbo tum methodo non levitèr paſſus fuerat) rus adiit liberoris auræ captandæ gratia, ùbi non diutius quam dies quatuordecim plus minùs commemoratus fuerat, priuſquam de novo dolor hic hactenus conſopitus recrudeſceret. Magno ſane hoc infortunio perculſus iterum ad me venit, & jam cùm omnia hæc incaſſùm adminiſtrata vidiſſem, altius aliquod in cauſa ſubeſſe ſuſpicatus, quod tâm contumacem affectum aleret, Interrogavi, num non ſibi conſcius eſſet, ſe aliquod cum fæminis conditionis ſuſpectæ conſuetudinem habuiſſe, ex quo labem veneream in

contraxiſſe potuiſſet. Imo reſpondit, & revera illam olim contraxiſſe, ceterum de eo morbo propriis uſurpatis medicamentis jam diu convaluiſſe; cum autem, quò certiùs mihi conſtaret res, denudati Corporis inſpectionem exegiſſem & maculas plures latas & ſquammaceas per brachia pectus & dorſum diſperſas obſervaſſem, nullum mihi jam diutius dubitandi locum manere, ſed ægritudinis ſuæ cauſam ſatis mihi compertam eſſe dixi, & curationem ejus ſpoſpondi. Aſſenſit lubenter & quo fidem meam liberarem ſequentes Pilulas præſcripſi. ℞ *Extr. Rud. mollioris conſiſtentiæ* ℈ i. *Merc. d. pul.* ℈ iv. Mſ. f. Pil. ix. ſumat 3 mane, aliquantiſper ſuper dormiendo, modo id concedatur, cum regimine, (præ cæteris cavendo frigus) quotidie ad triduum, & ſpatio duorum vel trium dierum, prout vires ferant, interpoſito, bis vel ter earum uſus pro re nata repetatur. In hac Methodo per ſeptimanas aliquot inſiſtendo recedere videbatur morbus & tandem plane Caput ſuum recondere; quo autem per menſis unius & alterius intervallum, relicto denuo rediit Cephalalgia, & de novo Maculæ in conſpectu ſe dabant venereæ; cum igitur adhuc intus latere virus indole ſua ſatis contumax plane conſtitiſſet, mecum æger in ſententiam ibat, aliò prorſus nobis incedendum eſſe, quò citiùs certiùſque in Valetudine ſua reſtituenda profi-

proficeremus. Protinus igitur abſque mora præmittendis præmiſſis, illum ex ung: litu Mercurialis procuratum in levem Ptyaliſmum conjeci (tunc temporis enim nondum aliqua alia mihi methodus in hiſce caſibus innotuiſſet) quem ad ſpatium duarum hebdomadarum protrahi permiſi, quo tempore peracto, omnis diſparuit cutis defœdatio, & hactenus omnino doloris expers optima fruitur ſanitate.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

De Diarrhæa.

VIRGO quædam annoſa temperamenti bilioſi, & habitus gracilioris, citra cauſam quamvis manifeſtam in alvi fluxum ſeroſum incidit, vulgo dictum Diarrhæam. Pharmacopolæ ſuaſu plurima, ut mos eſt, ſumpſit Medicamenta; Quibus nihil proficientibus poſt trium vel quatuor ſeptimanarum ſpatium ingraveſcente morbo me accerſivit, ad ſummas uti aiebat, idque verè, anguſtias redacta. Infeſtabat adhuc Diarrhæa, conſtringebatur pectus, urgebat tuſſis cum ſumma per vices Ventriculi ægritudine; Pulſus debilis, vires proſtratæ, nec aberat febris lenta & continua cum vigiliis & inextinguibili fere ſiti conjuncta. Huic horum omnium ſymptomatum oneri tantum non ſuccumbenti & oppreſſæ præſentaneo ſupra omnia levamine opus eſſe ratus, (quod etiam à me quam enixe expetebat illa,) ſequentia incunctanter adminiſtranda conſului.

℞ *Juſculi Ovini* ℥ xii. *Vitellos duorum ovorum ſach. canti* ℥ i. f. Enema ſtatim injiciendum, quo rejecto (modo brevi contingat) aliter abſque mora ſequentia exhibean-

tur. ℞ *Conſ. fl. Calend.* ℈ i. *Opii colati* gr. i. *Pul. è ch. c. c. Lapid. Goan. an.* ℈ ß. *Syr. Caryoph.* q. ſ. Ms. f. Bolus quamprimum ſumendus cum hauſtu ſequenti. ℞ *Aq. Lact. alex.* ℥ ii. *Theriacal* ℥ ß. *Sp. Nitri dul.* gr. x. *Sach. albiß.* q. ſ. Ms. f. Hauſtus. ℞ *Decoct. albi* ℔ ii. de quo bibat ad libitum copiosè pro potu communi, & cum eum avidiſſime peteret hauſtum cerviſiæ tenuis bene defecatæ & incorruptæ aliquoties intercalandum liberalem indulſi. Noctem hanc tranſiit admodum irrequieta & inſomnis, urgentibus magis tuſſi & anhelitus difficultate, & cum manè illam inviſerem, & omnia ſtatu deteriori deprehenderem, illam protinus Cordialibus perlatis & & generoſis refici curavi & bono eſſe animo juſſi, ac ſi noctem inſequuturam longe quietiorem prævideram: Præmiſſo igitur quo prius Enemate loco *Sach. Cant. admiſtis culinaris* ℥ ii. ad fæces alvinas quæ ex narcotici uſu diutius in inteſtinis reſtiterant, & acrimoniam majorem contraxerant, leviter ſubmovendas, bolum cum duplici quantitate *opii* præſcripſi ſtatim exhibendum. Res pro votis ſucceſſit, bene dormivit, reſpiratio liberalior, tuſſis exigua vel nulla erat, viribus & animo magis conſtabat, & res in vado eſſe apparebat. Hinc forſan non inutiliter nobis ſuggeri videtur diſſimilis, prout majori vel minori quanti-

quantitate exhiberi contingant, narcoticorum effectus, quantum ſcilicet obſtent eorum viribus & poteſtati humores copia & qualitate peccantes intus inexiſtentes quoties exagitati Orgaſmum conceperint, & quòd eorum vis ſoporifera, cùm ſpirituum animalium craſi genuinæ adverſetur, (quicquid aliter alii ſenſerint) quoties eorum impetui & Excurſionibus coercendis ob parcam nimis eorum adminiſtrationem impar ſit, eos potius in excandeſcentias & tumultus ſibimet ipſis noxios & exitiales exagitet; Ita ut vix aliam unquam ſubeſſe rationem concipiamus, quod uſitatum, & pro votis, iſtius generis medicamenta effectum ſuum non ſortiantur, quàm quòd vel humores copia & effervеſcentia nimis peccent, vel quod ea minori quam deberent quantitate exhibeantur. Non autem diu, ut redeam unde digreſſus ſum, tranquillo hoc ſtatu ſtetit ægra, vi enim medicamenti evaneſcente determinabantur pariter induciæ à morbo datæ, & de novo recrudeſcebant ſymptomata. Hiſce monitus mecum agere cœpi, num non metu depoſito qui me primus occupaverat, ne ſcilicet vires pro medicamenti purgativi exhibitione ad humores in Sanguine peccantes, & morbo huic originem præbentes eliminandas ſufficerent, protinus quò id obtinerem formula ſequenti aggreſſus ſum.

 ℞ *Rhabarb:*

℞ *Rhabarb: torrefacti* ℈ i. *Conf: Fracaſt:* q. ſ. Ms. f. Bolus. Ter vel quater operebatur cum εὐφορία & levamine. Noćte ſequenti longè melius dormivit, tuſſi & cæteris quotquot moleſtiſſima illam antea affecerant ſymptomata longe mitius ſe habentibus. Diei unius intervallo repetebatur Bolus cum *Rhabarb*: ʒ ß. cum pari fructu, indies declinantibus ſymptomatibus, & poſt unam & alteram ejuſdem Medicamenti Exhibitionem penitus evaneſcentibus. Debilem autem & languidam cum à tedio morbi diuturni illam relictam conſpicerem, autor illi fui ut in aerem ruſticanum & apricum, quo vires reſarcinarentur quamprimum migraret, ibique dum commoraretur Decoctum ſequens in uſu quotidiano haberet. ℞ *Decocti Amari* ℔ ii. *Limat: Chalyb:* ℥ ii. ſtent frigidè infuſa per biduum; poſtea Liquoris per inclinationem clare effuſi ℥ iii. cum *Aq: Gent: c.* ℥ i. commiſtas manè & h. 5 p. hauriat quotidie. Hujus, & *Decoct: Amar: cum Sennæ* ʒ i ß. præp. ſemel in Septimana uſu non ultra tres Septimanas perſtitiſſet, quin ſana & vegeta domum reverſa eſt.

OBSER-

OBSERVATIO V.

De Cutaneo Dolore.

FÆmina quædam de doloribus exquiſitiſſimis Brachia præſertim, aliquatenus etiam tibias & pedes torquentibus, quos (quod præ cæteris notabile eſt) in cute ſolum, abſque ullo tumore vel diſcoloratione ejus, & non profundius ſe ſentire dicebat, quærebatur. Et ne illam in ſenſatione deceptam fuiſſe credamus, argumentum ſat validum eſſe poteſt, quod quoties manu calida leniter fricaretur cutis ſuperficies, ſe omni protinus doloris ſenſu liberatam fuiſſe, nec ſane diutius, retulit. Cutim in genere hujus affectus eſſe ſubjectum, & diverſarum quæ eam componunt partium eam particularem iſtius ſedem, eſſe corpora papillaria ſeu pyramidalia, quæ commune tactus ſenſorium à Malpighio ſtatuuntur, & quæ nihil alia ſunt quam Nervorum ſubcutaneorum productiones ſub ima Cute erumpentes, per Corpus mucoſum ſeu reticulare dictum protenſæ, à quo ſibi adnatam quaſi vaginulam aſſumentes, & proinde à radicibus ſuis ad earum extremitates gracileſcentes oculo per microſcopium conſpectæ pyramidali ſub forma appa-

rent, vix dubio eſſe poteſt. Si autem hujus moleſtiſſimi humoris fontem inquiramus, eum à ductibus Glandularum ſudoriferarum à Stenone primo ſic dictarum & à Corporibus pyramidalibus ſenſui ſolum inſervientibus uti à *Cl. Ruyſch* notatum eſt, Reſp: ad *God: Bidloe* vind: p. 5. ſatis diſtinctarum, quaſi à propria ſua Scaturigine ſuffuſum deprehendamus. Quod autem nulla alia externa injuria partes ſibi vicinas affecerit, id peculiari ſuo indoli atribui debere judicamus, haud multum ab illa particularum nitroſarum aere brumali tempore ſcatentium, & gelu omnia conſtringentium abludenti, quæ foris pariter ac hæ intrò, ob ſuam molem vel figuram minus nervulorum texturæ proportionatam rudiori ſuo appulſu illis dolorem inferre ſolent.

Quoad moleſtiſſimi affectus hujus curationem, cum hoſtilem aliquem humorem aculeis armatum, acidis veroſimiliter aliquantulum congenerem, in ſanguine midulari ſuſpicarer, peracta bis copioſa ante meum adventum veneſectione, id mihi ſolum reſtare videbatur agendum, ut humorem illum vel optimis remediis quibus potuiſſem evacuarem, vel in meliorem ſtatum redigerem, quod formula ſequenti conatus ſum. ℞ *Conſ: Viol:* ℈ i. *Muc: d:* gr. xv. *Opii colat:* gr. i. *Syr: Ca-*

ryoph:

ryoph: q. ſ. Ms. f. Bolus hac nocte ſumendus. Parum dormivit, & aliquantulum diminutus fuit dolor. Die ſequenti ter dejecit, aſſequuto etiam aliquali doloris levamine. Hac nocte denuo Bolum ſeq. præſcripſi, ℞ *Conſ: viol:* ℈ i. *Muc: d:* gr. xvii. *Diagr:* gr. iii. *cum Syr: Caryoph:* f. Bolus ſtatim ſumend. ſuperhib. hauſtum ſeq. ℞ *Aq: Lact: alex:* ℥ iii. *Diacod:* ʒ vi. *Laud: liq:* gr. x. Ms. Die ſeq. quater vel quinquies dejecit cum egregio emolumento. Hoc die *Ol: Samb:* cum *Camph:* tantillo mixt: partibus affricari juſſi, unde mitiùs per aliquot temporis momenta ſe habuit dolor. Tandem vero cum præfractè ſe habuiſſe Morbum conſpexeram, Pil. ſeq. præſcripſi, ℞ *Pil: ex duob: vel Coch: min:* ℈ i. *Diagr:* ℈ ß. *Muc: d:* gr. xxvi. *Syr: de Rham:* q. ſ. Ms. f. Pil. vi. cap. poſt primum ſomnum ſuper dormiendo ad horam qua è Lecto exire conſueverat, & poſtea obſervando regimen. Strenuè operatæ ſunt, & pœnitus evanuerunt dolores abſque recidiva.

 OBSER-

OBSERVATIO VI.

De Rhumatiſmo.

VIR quidam temperamenti Sanguinei & habitus admodum plethorici & obeſi 40 Annos natus, de Articulorum fere omnium rigore & immobiliate, & quoties eos vel leviſſime movere conaretur, dolore atrociſſimo corripiebatur. Incipiente Morbo Sanguinis proprio ægri conſilio educebantur plus minus unciæ vigenti floridi & conſiſtentiæ naturalis. Die ſequenti etiam exhibebatur vomitus, ut ſordes à Ventriculo & Viſceribus infimi Ventris (& recte quidem) eliminarentur; Hinc ad votum copioſa non ſine magno proculdubio ægroti emolumento ſequuta eſt vomitio.

Poſt triduum autèm ingraveſcente adhuc Morbo accerſitus, cùm pulſum naturalem & ægrum neutiquam febricitantem, ſed de dolore vix ferendo invenerim quærentem, ſtatim ſanguinis miſſionem, & cum admodum robuſtus & plethoricus eſſet, ad uncias viginti conſului.

Poſt hanc ſecundam copioſam venæ ſectionem, & non prius, ſanguinem pleuriticorum æmulum fieri, febrim paulatim ſuboriri, & articulos intumeſcere obſervavi.

Adeò

Adeò ad incendium proni erant humores licet in flammam planè & apertò erumpere ob loci anguſtiam priuſquam per venæ ſectionem vaſorum depletio facta fuiſſet, non valuiſſent.

Poſtridie pari quantitate detrahabatur ſanguis, qui majora adhuc ex craſſamento ſeu pellicula ſuperficiē ejus integenti inflāmationis dedit indicia; Jam etiam indies augebantur Symptomata, ſitis ingens, calor totius corporis intenſus, juncturarum dolor immanis, & inflammatio.

Quo igitur inducias ſaltem cum morbo abſque ſanguinis adeo profuſo diſpendio obtinerem, (quod & eò obnixiùs vellem, cum humorum in Sanguine turgentium ſeceſſionem ex artuum quaquaverſum intumefactione inceptam jam notaſſem) Calorem jam incendium minitantem ſeri Lactis ad diem unum & alterum in q: ℔ iv. exhibitione (quo etiam magnopere delectabatur æger) temperare & aliquantulum ſufflaminare molitus ſum. Hinc ſequebantur quotidie 3 vel 4 dejectiones, & in tantum delinebantur humores acres, exæſtuantes, & in artus ruentes, ut maxima jam eorum impetum ex parte coerceri, & ſtatum longè pacatiorem fieri ex inſigni ſymptomatum omnium remiſſione reperi.

Biduo hoc tranſacto, cum præter expectationem, ex arteriæ vibratione, dolore partium

tium vigenti & ἀγρυπνίᾳ admodum pervicaci efferveſcentiam humorum de novo exorituram adnotaſſem, ad Venæ ſectionem invitò licet, & imminuta quantitate denuo me recepi; qua non obſtante, adeo recrudeſcebant indies ſymptomata, ut vix ulla niſi quod à paragoricis extorqueretur, ſymptomatum levamen, abſque repetita venæ ſectione ſpes reſtaret procurandi.

Poſt triduum igitur emulſionum & anodynorum hauſtuum exhibitione inſumptum, denuo Sanguinem ad quatuordecim unc: fluere permiſi; quo facto, adeò miteſcebant dolores, ut nocte inſequenti ſponte irrepſit ſomnus ad horas aliquot cum magna virium refectione protractus, & manè cùm eum inviſerem, motum fluidorum, utpote ad ſtatum naturalem jam propiùs accedentium, longè diminutum & fere regularem ex pulſu deprehendi.

Injecto igitur Clyſtere è lacte ſacharato, quo leniter è ſordibus inteſtina expurgaremus, diætam ex hordeatis & Emulſionibus copiosè ſeu ad libitum ingeſtis inſtituimus, etiam Decoctum Pulli parcè indulſimus.

Elapſis autem horis plus minus 24, de novo bellum movere cepit hoſtis, dolore jam unum vel alterum præ ceteris alternatim articulum atrociter infeſtinante, imo introrſum etiam vergere incipiente. Jam enim de ligatura quadam arctè moleſtiſſi-

meque

meque Ventrem inferiorem ſtringenti cum contractionibus dolorificis per intervalla afficientibus comitata quærebatur.

Huic, ab illuvie ſeroſa, aliqua ſaltem veritatis ſpecie, ibi depoſita ortum ſuum ducenti, ſequenti methodo conabar opitulari. ℞ *Conſ: Viol:* ℥ ß. *Colomel:* ℈ i. cum tantillo Syr. cujuſvis, f. bolus hora ſomni ſumendus; Mane ſequent: propinando *Aq: Epſam:* ℔ iii. ad medias coctas. Sexies deorſum operebantur, & proficuè, appetitu, Somno, & viribus magna ex parte reſtitutis.

Poſt biduum quo ſatius ægrotum contra moleſtiſſimi hujus affectus recidivam munirem, Boli & Aquarum repetitionem, nec minori ſucceſſu conſului, ita ut jam me ægrum in tuto collocaſſe exiſtimabam. Elapſo autem triduo cum ad ædes ejus veniſſem, illum cum continuis ſedibus & vomitionibus luctantem reperi; humoribus quod ſurſum vel deorſum rejiciebat, neutiquam ab iis quoad colorem & conſiſtentiam diſcrepantibus quos in Morbo Cholera rejici cernimus.

Plurima mecum circa hanc enormem & inſolitam evacuationem animo volvens anxius tandem ſteti, num iſtius cauſam in materiæ peccantis intus tranſlationem, an in ſpirituum motus inordinatos & effrenes ab innanitione per precedaneas & profuſas ſanguinis miſſiones excitatos rejicerem, ad ultimam

timam autem tandẽ propendens, ut hauſtus aliquot Vini Gallici ſatis amplos prius calefactos exhauriret hortatus ſum, unde ſtatim omnia pacabantur, ita ut proximo mane ægrum truculententiſſimi hujus Symptomatis prorſus immunem (inde conjectura confirmatus) reperi. Cæterum vix proſpero hoc ſtatu ultra 6 horas manſiſſet priuſquam ad illum eorundem ejectionum revireſcentia correptum denuo vocarer. Illum admodum debilem, & delaſſatum ſecundo hoc inſultu factum animadvertens, & aliam recidivam periculoſam admodum eſſe conjiciens, ea, quâ illum quam maximè extra omne periculum ponerem (quantum ſcilicet in me eſſet) methodo inſiſtere tutiſſimum eſſe judicavi; & proinde quæ ſequitur uſus ſum. ℞ *Laud: Lond:* gr. ii. forma Pilulæ exiguæ, quo ſcilicet melius in Ventriculo detineretur exhibenda quamprimum, & poſt horas 3 repetenda ſi opus fuerit; Interea etiam de Vino Gallico bibat ad libitum. Sumpta prima Pilula ceſſabat Vomitio, parciùs & abſque cruciatibus dejiciebat; ſumpta ſecunda obrepit ſomnus, & mane ſequenti illum mire relevatum alacremque offendi; & quod notari debet, congium decem horarum ſpatio Vini Gallici integrum abſque vel minima ebrietatis nota exhauſiſſe, cujus vel partem dimidiam ſanus (uti aiebant familiares

ejus)

ejus) vix ſuſtinuiſſet, licet etiam per urinam tot illius temporis ſpatio non ſemilibram reddidiſſet. Cibum pro delectu, & Vini ejuſdem uſum ad libitum conceſſi vires reficiendi cauſa, unde pauco poſt tempore appetitu reſtituto, & augeſcentibus indies viribus ęgro valedixi. Poſtea autem cum me ſuadente rus proficiſceretur, quo aere aprico & liberiori verſaretur in diarrhæam violentam cum Vomitionibus aliquibus de novo incidit, adeo ut trigeſies una nocte dejecerit, qua rurſus liberaliori Vini Gallici rubri uſu & beneficio ſolo, abſque ullius paregorici ope, liberatus eſt.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

De Diarrhæa coloris albidi torminoſa.

VEtula quædam exſucca, & ſtrigoſa in pleno ſcilicet (ſtupendo animi vitio) divitiarum cumulo egena, à frigore ſuſcepto in reditu ſuo ad Londinum à rure, ſuper fluvium Tameſin aperta Cymba, die etiam adveſperaſcente, in Diarrhæam coloris ſubalbi incidit, cum ſpaſmo flatulento vulgo cramp dicto per totos artus ſævienti complicatam, ita ut vix locum movere, vel pedibus inſiſtere abſque cruciatu intolerabili valeret. Decies plus minus in 24 horis dejecit cum aliquali ventris tormine. Poſt biduum, dolorifica vincente ægritudine, de pertinaci erga ſeipſam crudelitate triumphans Pharmacopolam accerſivit, qui plurima medicamenta, & inter cętera Bolos aliquot *Theriacæ Androm:* cum aliquot adſtringentibus præparatos illi miniſtravit. Hinc inſequutæ ſunt enormes vomitiones dolorificæ, fluxu etiam alvino adhuc perſiſtente; Ad has igitur anguſtias redacta, ſuadente etiam id Pharmacopola officii ſui memore, me vocavit. Ægrotam febris immunem, pulſum ejus ſatis robuſtum & regularem, urinam inſtar naturalis inveni; quæcunque

autem

autem ſumſit ſtatim poſt eorum ingeſtionem rejecit, & poſtea cùm vacuus eſſet ventriculus, in nixus inanes varios vomitivos erumpente ſolum flatu inivit. Sedes erant coloris albi dilutioris inſtar chyli. Miſere ſanè torquebatur mulier grandæva, ita ut vix ſibi virium ſatis morbi ſævitiæ perferendæ ultra ſex horas ſupereſſe aſſereret.

Quamprimum igitur injectionem Enematis ſequentis eo fine juſſi, quo ſcilicet ventriculo adeo convulſionibus tentato, (modo id aſſequi potuerim) inteſtina fæcibus ſeu humoribus ſuis acribus & noxiis liberando, & eodem tempore frœnum aliquod ſpaſmodicis ſuis contractionibus injiciendo, aliquo modo ſuccurrerem. ℞ *Liquoris poſſet: ex Vin: Hiſpan: præparat:* ℥ xii. *Ther: Androm: Conf: Frac: an.* ℥ ß. *Vitellum unius ovi Syr: Viol:* ℥ ii. Ms. f. Enema ſtatim rejiciendum & poſt ejus rejectionem intervallo horæ unius denuo injiciendum, ſi vomitiones non miſſerint.

Hiſce peractis aliquantulum mitiora per totum ductũ alimentalem facta ſunt omnia. Cæterum cum hinc inducias ſolum de Morbo impetratas fuiſſe perciperem, & cum nihil è ventriculo inter vomitandum niſi flatus copioſos erupiſſe animadvertiſſem, vix opus eſſe illam liquidis copiosè ingeſtis onerare, uti in cholera ſolemus

ad

ad ejus humores putrefactos jugiter à ſanguine ſuffuſos exantlandos (uti hactenus ſaltem creditum eſt) judicavi, quin potius ut me ad ſeditiones a ſpiritubus tumultuantibus etiamnum inibi excitatas ſedandum accingerem, cui ſcopo intentus ſequentem methodum inſtitui.

℞ *Aq: Cinam, Fort: Cinam: h: an:* ℥ ß. *Laud: liq: Cydon:* gr. xx. *Ol: Cinam:* gr. i. Ms. f. hauſtus quamprimum propinandus, & ſi intra ſpatium 3 horarum per vomitionem foras propulſetur, repetendus. Statim eũ evomebat uti etiam aſſumpta omnia jam per biduum ſolita fuiſſet. Alium igitur qui in promptu erat aſſumebat, qui horas duas ventriculo immanſit inſequente ſomno. Poſt id ſpatium de novo inceſſit vomitio etiamſi lenior, cui, ne iterum novæ darentur turbæ, oppoſui hauſtum alium, quo factum eſt, ut ſe ſtatim ad ſomnum per totam fere noctem (quæ ſecunda à meo adventu fuit) protractum cum magno naturæ levamine prolaberetur.

Mane ſequenti eam inviſi aſpectu hilarem & vix amplius de meo conſilio ſolicitam. Adſtantibus autem illam de metu recidivæ admonentibus tandem auſcultans, iterum opem meam petiit.

Quo igitur tutiores & utiliores medicamenti paregorici vires miſella experiretur. Clyſteris ſeq. uſum conſului, ℞ *Liq: Poſſet:*

vel

vel Juſculi Pullini tenuis ℥ xii. *Vitellum unius Ovi, Dioſcord: Ther: Andr: an.* ʒ i. Ms. f. Enema quamprimum injiciendum. Poſt horam unam eum reddidit ſincerum, duabus autem elapſis horis ſedem habuit inſtar earum quas per totum morbi decurſum cum torminibus depoſuiſſet, parum de albedine ſolum remittentem.

Hactenus etiamſi vomitiones & dejectiones penitus fere exulaſſent, de Stomachi ægritudine, quæ flatuum eruptione ſemper ſolvebantur aliquantulum querebatur. Hos cum de eadem radice qua præcedentia ſymptomata pendere mecum judicaſſem, eos eodem gladio jugulare jam agreſſus ſum, & proinde Pilulas ſequentes præſcripſi. ℞ *Opii colat:* gr. ii. *Pul: Glycyrrhizæ* gr. vi. *Ol: Cinam:* gr. i. *Tinct: Caſt:* parum. Ms. f. Pil. ii. quarum ſumat unam quamprimum, reliquas poſt ſex horas ſuperbibendo c. 3 Cord: Perlat: ſeq. ℞ *Aq: Cinam: h:* ℥ vi. *Cinam: fort:* ℥ i ß. *Menth:* ℥ ß. *Marg: græp:* ʒ i. *Sach: alb:* q. ſ. Ms. Cordiale de quo etiam ſumat c. 3 vel 4 ad libitum.

Harum Pil. uſu melius ſe habuit, & hoc die ſedem habuit coloris limoſi.

Perſtitit in uſu Pil. ad diem ſequentem, quo ſedem etiam habuit coloris nigri. Postea indies robuſtior facta, & excrementis tũ

D quan-

quantitate tum qualitate naturaliter ſe habentibus, tandem convaluit.

Cauſam quod attinet fluxus hujus humoralis & torminalis, eum à ſero ſalſo & corroſivo propter διαπνοὴν impeditam uti in limine hujus Obſervationis obſervavi in maſſa ſanguinea congeſto, ad inteſtina per plexuum glandularum inteſtinarum ductus excretorios depluenti, & inteſtinorum fibras acrimonia ſua in convulſivos motus adigenti proveniſſe vix eſt ut dubitemus. Quoad autem coloris ejus albedinem fluxibus alvi ſeroſis rariſſimè (quod ſciam) adjunctam, eam maxima ſaltem veritatis ſpecie glandularum inteſtinalium prædictarum à *Cl: Peyero* deſcriptarum obſtructioni deberi exiſtimo. Hinc enim ob earundem ſucci tantopere alimentorum coctioni & perfectioni inſervientis defectum, crudiorem & vitioſum ſolum ſanguini ſubminiſtrari chylum admodum probabile eſt, qui cum in ſinum Sanguinis receptus aſſimilari nequeat, ut tandem per glandularum harum ductus jam jugi ejus appulſu copioſiori reſeratos proſcribatur neceſſe eſt.

Vix aliam hujus Symptomatis rarioris majorem veritatis ſpeciem præ ſe ferentem mihi occurriſſe rationem agnoſco, præſertim cum hic de affectu celiaco, ſeu de aurigine ſuſpicio nulla eſſe poteſt. Sunt qui mucum iſtum

ſtum quo ſtatu naturali oblinuntur inte-
ſtina nimis abundantem, & debito viſcidio-
rem humoribus ibi depoſitis ſe commiſcen-
tem, hujus affectus cauſam veroſimiliorem
eſſe judicant; quibus tamen cum ejus vix ſuf-
ficientem quantitatem inteſtinis pro tot ſe-
dibus conficiendis ineſſe credam, præter-
quã cùm eum iſtius coloris chyloſi nunquam
in defunctorũ ſectione conſpexerim, nequeo
aſſentiri. Aliis interea aliter ſentire, prout
illis viſum fuerit, per me integrum eſſe li-
ceat.

 OBSER-

OBSERVATIO VIII.

De Pruritu in Meatu Urinario.

UXOR cujuſdam Mercatoris annos aliquot ſupra quadraginta agens, admodum corpulenta, & quoad cætera ſana ſeptimo gravidationis menſe pruritu in meatu urinario maxime ad ejus exitum adeo moleſto afficiebatur, ut inexplebili eum abſque vel ulla intermiſſione ſcalpendi deſiderio teneretur, & proinde tum propter morbum tum aſperum ejus remedium, nec diem nec noctem abſq; ſumma inquietudine pertranſiret. Plurima cum per ſpatium bimeſtre contumaci & importuno huic affectui fruſtra præſcripta fuerant, tandem de veſicæ calculo ſubortâ ſuſpicione accerſebatur Lithotomus. Hic, cùm facto per Catheteris introductionem examine, etiamſi Veſicam calculi expertem reperiſſet, cùm tamen ab ipſa ægrota, & ei adſtantibus ſæpiùs in urina arenulas viſas fuiſſe audiviſſet, moleſtiſſimi hujus affectûs cauſam iis deberi ſuſpicatus, in ejuſdem levamen diureticorum uſum præ cæteris conſuluit. Poſt horum per aliquod ſpatium uſum fruſtraneum me in conſilium accerſerunt.

Ægram Febrē tertianā *emulanti* & cum frigore

frigore & horrore invadenti, tertio quoque die, jam tertia vice correptam reperi, quam dolorificè Catheteris immiſſioni (utcunque caute & cum judicio eam chirurgus tentaſſet) primum ſupervenisſe retulerunt ejus amici; cui plane ſimilem frequenter in carunculis in Urethra ab immiſſis Candelis extirpandis, quoad unam quidem acceſſionem febrilem, nunquam autem ad plures accidiſſe obſervaveram. Nullum omnino dolorem inter mingendum percepit, licet ob quandam loci anguſtiam urinam minus libere reddidiſſe conſueverat, unde nullum omnino ſubeſſe inflammationem mihi planè conſtabat; quantum ad arenas minus eas ſuſpicatam iri ſenſi, quoniam iis laborantibus hoc genus ſymptoma adfuiſſe nunquam audiveram. Multoties affectum hunc pudendo muliebri locis præſertim circa labia, & intra vaginam, ubi plurimæ diſſeminantur glandulæ ductibus humoris indolis peculiaris ſecretioni dicatis inſediſſe novi, ſed nunquam quod ſciam Veſicæ Urinariæ adeo infeſtum ut præter cætera incommoda ſecum urinæ difficultatem induceret. Quapropter rationi mihi magis congruum videbatur, ut moleſtiſſimum inſolitumque hunc affectum humoris à proſtatarum lacunis ad meatus urinarii extremitatem ſitis, jugiter depluentis ſalſedini aſcriberem, quæ par-

tem prurigine adeo immani afficeret, ut eam haud impuni ex acriori unguium attritu placare cogeretur; & huic pariter indicationi methodum quæ maxime ſatis faciendæ inſervire videretur, elegi, ℞ *Conſ: Viol:* ℈i. *Muc: d:* gr. vii. *Syr: cujuſvis* q. ſ. Ms. f. Bolus hac nocte h. ſomni ſumendus ſuperbibendo Hauſtum ſequentem, ℞ *Aq: Malvæ* ℥ ii. *Syr: de Alth:* ℥ ß. Ms. Mane ſequenti humorum viſcidorum copiam ingentem per vomitionem rejecit, & poſtea ter vel quater alvum depoſuit. Diei unius intervallo denuo utcunque operationem ejus ſurſum in graviditatis ſtatu ſuſpectam habuimus, (cum adeo ex priori ejus uſu ſe profeciſſe comperiſſet,) idem medicamentum cum tanta utilitate repetiit, ut omni pruritu & urinæ difficultate evanidis priſtinæ valetudini reſtitueretur.

Poſt menſem recidivam patiebatur, & rurſus ad idem medicamentum quaſi ad ſacram anchoram ſe contulit, fruſtraneo neutiquam eventu. Cum autem ultimum graviditatis tempus appropinquaret, quo minus tuto poſſunt medicamenta evacuationi inſervientia exhiberi, Lotionis ſequentis uſum aliquoties per unam ſeptimanam conſului, ℞ *Decoct: Cort: querci* ℔ i. *Mel: Ægyptiac:* ℥ ß. Ms. Hujus beneficio ab omni affectus hujus inſultu evaſit immunis, & fœtum tempeſtivè excluſit.

OBSER-

OBSERVATIO IX.

De Ictero Hyſterico poſt parturitionem.

FOemina quædam quadraginta annos nata, temperamenti bilioſi, quinto poſt parturitionem menſe dolore Ventriculi acutiſſimo, magna cum ejuſdem inflatione & tenſione, per intervalla quædam primùm, paucorum autem poſtea dierum ſpatio atrociùs, & ſine intermiſſione ingraveſcenti corripiebatur. Sexto à morbi initio aurigo indiciis ſatis conſpicuis, intenſiſſima (*viz.*) cutis univerſæ Flavedine, urinæ rubedine intenſiori, & fœcum inteſtinalium albedine prodiit. Interea dolores indies auctos & utcunque leviter ſe in lecto moveret, ſupra fidem exacerbatos, cum interna & dolorifica viſcerum, contractione ac ſi funibus circumligaretur, perſentiebat.

Hiſce ad illam miſeriis uti ex pulſu depreſſo & ſpirituum languore conſtabat, penè confectam accerſitus, primo ſtatim adventu ad dolorem conſopiendum, cui diutius tolerando ſe omnino imparem eſſe dicebat, me accingebam medicamentorum ſequentium exhibitione, ℞ *Ther: Andr:* ʒ ß. *Opii colat:* gr. i. *Caſt:* gr. vi.

Ms. f. Bolus quamprimum ſumendus, ſuperbibendi Hauſtum ſeq. ℞ *Aq: Puleg: Bryon: c: an:* ℥ ß. *Diacod:* ʒ ii. Ms. f. Hauſtus.

Repetantur Bolus & Hauſtus poſt 3 horas, ſi dolores non remiſerint.

Ex una horum exhibitione aliquantulum miteſcebant dolores, & cùm ſiti magnopere præmeretur, hauſtus aliquot liberaliores Cerviſiæ tenuis pane toſto tepefactæ concedebantur cum emolumento.

Adhuc autem ſatis acutè affligentibus doloribus, Bolum & Hauſtum repeti circa horam nonam veſpertinam, & denuo, ſi ob dolorum contumaciam opus eſſet, horarum trium intercapedine imperavi, interea non omiſſo libero & frequenti Cord. Perlati uſu, ſi vires eum exigerent.

Mane ſequenti eam doloribus magna ex parte liberatam, & ſomno licet ſæpius interrupto aliquantulum refectum reperi. Pulſus qui pridie pœnitus fere ſiluerat non obſtante præcedanea prælarga medicamenti ſoporiferi exhibitione fortiùs emicante.

Nondum autem penitus conſopitis doloribus haud tutum ab eorum uſu deſiſtere mecum reputans, præmiſſo ſequenti Clyſtere, (*viz.*) ℞ *Decoct: com:* ℥ xii. *Elect: Lenit: Sach: rubri an:* ℥ i ß. Ms. f. Enema quamprimum injiciendum, Sequentes

Pilulas

Pilulas præſcripſi. ℞ *Caſt: Pul:* gr. xii. *Opii Colat:* gr. iii. *Conf: Alk. ſ: m:* q. ſ. Ms. f. Pil. iv. quarum ſumat ii. finita prius operatione Clyſteris, & reliquas poſt 6 horas, modo adhuc inſtent dolores (alioquin omittantur) ſuperbibendo Hauſtum ſequentem, ℞ *Aq: Rutæ Puleg: Bryon: c: an.* ℥ ſs. *Diacod:* ʒ ii. Ms. f. Hauſtus.

Jam ſedimentum deponebat Urina, quæ antea clara erat, copioſum, at intenſe adhuc albeſcebant fæces alvinæ.

Clyſter copioſe ſemel operebatur, & poſt ejus operationem exhibebantur pilulæ & hauſtus juxta præſcriptionem; cum autem duabus circiter horis poſt Pilularum exhibitionem venirem, & ægram doloribus graviter reperirem afflictam, tempus ſupra aſſignatum anticipando, quantociùs pilularum reliquarum exhibitionem acceleravi.

Sumptis illis magnopere levatam ſe ſenſit ægra, & cum poſtea ſedem copioſam habuiſſet, ſequentem Bolum in promptu eſſe juſſi, ℞ *Ther: Andr:* ʒ ſs. *Opii colat:* gr. i ſs. *Caſt.* gr. vii. *Sal Volat: C: C:* gr. iii. Ms. f. Bolus circa noctem mediam ſumendus ſuperbibendo Hauſtum ſequentem ſi adhuc dolores perſtiterint. ℞ *Aq: Lact: al: Puleg: an.* ʒ vi. *Diacod.* ʒ iii. Ms. f. Hauſtus.

Omnis

Omnis doloris expers manſit, uſque ad mediam noctem dormiendo & diutius, cum autem inſtaret tempus quo Bolũ & Hauſtũ præſcriptum ſumi præſcripſeram illi circa id tempus expergefactæ eum exhibebant.

Mane ſequenti (*viz.*) die *Jun.* 4. illam ſubtriſtem ac ſi dolores de novo ingruentes metueret deprehendens, præmiſſa denuo Clyſteris injectione pilulas ſequentes paregoricas præſcripſi, ℞ *Pul: e ch: c: c:* ℈ ß. *Caſt: Ruſſian: Sal: Vol: c: c: rectif: an:* gr. vi. *Opii colati* gr. iv. *Conf: Alk: ſ: m:* q. ſ. Ms. f. Pil. iv. quarum ſumat ii. poſt operationem Clyſteris, ſuperbibendo Hauſtum ſequentem, ℞ *Aq: Meliſſ: Rutæ Puleg: Bryon: & Diacod: an.* ℥ ß. Ms. f. Hauſtus; reliquas ſumat poſt ſex horas, ſi nondum ceſſaverint dolores.

Clyſteres operationem ſequutæ ſunt ſedes plurimæ præter expectationem per horas tres vel quatuor uſque ad noctem, unde de novo recrudeſcebant tormina quibus non obſtantibus Pilularum exhibitionem aliquantiſper poſtponi conſului, modo ægrotæ patientiam non plane evincerent dolores; Inde fore ſperans ut ſedum harum beneficio hepatis expediretur oppilatio, & humores bilioſi Sanguine commiſti excluderentur: Ab horum enim nimia in ſanguine congeſtione, & à debita, ob nervulorum glandularum ſecretionibus in

hepate

hepate, ac aliis viſceribus præpoſitorum ab iis in convulſiones adactorum ſecretione impedita, affectum hnnc quaſi à fonte ſuo profluxiſſe exiſtimo.

Circa h. nonam veſpertinam quo tempore ſponte, & non prius ſubſtitiſſet alvus, cum à frequentibus dejectionibus præcedaneis plurimum laſſeretur, pilularum paregoricarum duas cum hauſtu conceſſi, quarum beneficio noctem tranſivit quiete, & mane ſeq. (*viz.*) die 5. eam ſomno refectam & omnis doloris immunem reperi.

Ventriculi ardore aliquoties hodie afficiebatur, qui liquoris poſſet. cum Vin: Hiſpan: præp: exhibitione plurimum miteſcebat. Hoc die dejecit ter vel quater, ſedibus jam utpote etiam cute quoad colorem naturaliter ſe habentibus. Ubique etiam totum corporis habitum (quod in fine hujus morbi ſolenne eſt) afficiebat pruritus.

Die 6°, hodie ſudoribus benignis perfuſa mediocriter bene ſe habuit, oſcitationibus ſolum & ſpirituum languoribus obnoxia, hauſtibus è decoctione Pulli nutritiis, & aliquibus aliis id genus ſorbilibus è culina expromptis facile cedentibus. Ab impoſitione Emplaſtrorum ex Galban: & iſtius claſſis cæterorum abſtinuimus, quod ab omnium graveolentium odore (exceptis ſpiritubus volatilibus qui in exigua quantitate exhibiti illi multum profuere) quem ſibi

noxium

noxium & moleſtum ſemper reperiſſet, abhorruit.

Mane, die 7° eam optimè ſe habentem reperi, jam etiam omnibus quibus antea luctaſſet malis exulantibus, & roſaceo etiam ut olim faciei colore pulchroque vivido æquè reſtituto.

Tranſactis autem diebus ſex, denuo recidivam paſſa eſt, incidente etiam magno in hypochondrio dextro dolore, cum ejuſdem lateris circa hepatis regionem intumeſcentia quadam, & dolore ulceroſo deorſum per totã iſtã corporis tractum præcipuè ſe protendenti. Accerſitus igitur ægrotam vomitionibus inveni correptam, cum pulſu admodo exiguo & ex tremo ſpirituum languore adeo oppreſſam, ut viſcera omnia ad ejus ſenſationem plane deorſum deſcendentia & quaſi exitura videbantur. Urina intenſe rubeſcebat cum magna contentorum in fundo ſubſidentia, inſtante etiam evacuationum ſolitarum tempore quæ nondum à nupero puerperio naturæ penſum abſolviſſent.

Hinc caloris naturalis ſuffocationem à redundantia humorum & nimiam ob præternaturales ſpirituum animalium incurſus vaſorum ſanguineorum coarctationem ſuſpicatus, V.S. conſului verum cum debilis eſſet ad quantitatem ſolum ℥ v. Sanguis pellicula tenaci & diſcolori tegebatur inſeperabili interni incendii comite; poſt hanc longe melius

lius ſe habuit, & cum pars dolens & intumefacta Ol. Roſac. ter vel quater embrocata fuiſſet ab omni poſtea dolore libera evaſit.

Notari hic velim ægram frequenter de eximio à Stomachi ardore quæſitam fuiſſe, quem ab acido morboſo & acri proveniſſe certò didici, è coagulata hydrogala ad eum coercendum ante epota, quam vomitu rejectam vidi.

Die ſequenti eam longe erectiorem reperi, cum pulſu fortiori & omnimoda doloris ulceroſi remiſſione. Denuo igitur eandem Sanguinis quantitatem detrahi curavi, unde poſt 3 vel 4 horas fluere copiosè catamenia ceperunt, magno utique indicio, ab humorum præfervidorum ebullitione feminis tunc temporis uſitatiori, ſymptomata hæc ultima maxima ſaltem ex parte, & quaſi προφάσι ſequiori ſexui unice competenti primo emerſiſſe, & propter vaſorũ nimiam inde cauſatam diſtenſionem exitum communem non ſortientium, poſtea magnopere fuiſſe exacerbata, quæ etſi methodo præcedaneo ſufflaminata quaſi fuiſſe compeſcuimus, vix tamen penitus debellare & ſupprimere abſque ſanguinis portionis alicujus diminutione valuimus. Nocte ſeq: diutius extra lectum morata, de novo dolore dextri hypochondrii gravabatur, ſumpto autem levi hypnotico ſtatim ejus expers facta eſt, & indies promota ſanitate poſt quatriduum omnino convaluit.

OBSER-

OBSERVATIO X.

De Colica cum tumore externo conjuncta.

VIR quidam annos 60 natus obeſulus & temperamento phlegmatico prędi-tus, dolore acerbiſſimo dextro hypochondrio, eo loci ubi inteſtinum Colon à vicinia hepatis ſub Ventriculum ad latus corporis adverſum tranſcurrere ſolet, quo etiam loco ſe protruſit tumor circularis fere figuræ, & palmæ fere latitudinis, durus & fixus, abſque quavis inflammatione & omnis doloris expers niſi fortiter compreſſus, corripebatur; Hanc bis antea olim ſubiiſſet, nec aliam unquam iſtius ocaſionem præter frigoris ſuſceptionem ſibi cognitam retulit; Urina etiamſi rubra & contentis ſaturata erat, vix tamen eum omnino febricitaſſe vel lingua vel pulſus indicabant. Chirurgus quem ſimul accerſerat tumorum ex humorem acridorum fluxione poſtea in apoſtema deſiniturum, ni maturæ diſcuteretur ſuſpicatus eſt; ego eum forſan à flatu inteſtino coercito, & partem ſibi supernè contiguam in tam ingentem protuberantiam qualis nobis exhibebatur, protrudentem ortum ſuum habere conjectabar, præſertim cum iſto abdominis angulo ob he-

patis

patis & ventriculi circumjacentium proximitatem flatus in Cellula quavis iſtius inteſtini quaſi in angiportu detentus modo nec prorſum nec retrorſum emigret, partem incumbentem abdominis ei maxime vicinam in molem urgere neceſſe habeat.

Utcunque res ſe habuiſſet, ambo convenimus univerſalia quædam præmittere quæ nihil ſaltem obeſſent, priuſquam certius aliquid de eo ſtatueremus. Poſt igitur Enematis miniſtrationem venam ſecuimus & ſanguinis ℥ xii. eduximus. Statim poſt clyſmatis operationem ingens prorupebant flatuum copia, & horas ſex à Venæ ſectionem dolor & tumor penitus diſparuere.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

De Morbillis irregularibus.

PUer quidam quadrennis febre quam comitabantur vigiliæ, appetitus proſtratus, diarrhæa, dolores intenſi adeò corpus univerſum excruciantes, ut cum vel leviſſima quavis ocaſione moveretur totas ædes ejulatibus impleret, & tandem virium inſignis ſatis debilitas, corripiebatur.

Indies ad triduum augebantur ſymptomata, præcipuè Diarrhæa, ita ut vigeſies & ſæpiùs dejiceret duobus primis diebus ab initio ægrotationis.

Die quarto apparuerunt maculæ exiguæ manibus & facie ſatis conſpicuæ, quibus viſis, manente adhuc alvi fluxu me accerſerunt parentes, de vita ejus plane actum eſſe credentes. Conſpectis maculis pulicum morſuum inſtar (non rubri vel purpurei coloris) & levi oculorum lachrymatione facile conſtabat morbi genus, & quoad curationis intentiones, ſolum reſtabat difficultas quid de fluxu alvi immodico & præmaturiori ageretur. Si penitus ſiſteretur magnopere metuebam, ne pabulum febrili fermento venenoſo humoribus inſidenti copioſiùs adminiſtrarem, quo ſtrages longius lati-

latiuſque edendo œconononiam totam naturæ ſubverteret; ſi non ſiſteretur, ne virium defectu ab opera ſua jam inchoata deſiſteret natura, priuſquam ſtadium hoc ſuum, vulgo ſecundum dictum, in materiam morbilloſam per cutim, ebullitionis regularis beneficio, critice excludendo dicatum emetiretur.

Media igitur via incedere tutiſſimum eſſe credens, profusè nimis per alvum fluori frenum ponere tentavi, exhibendo ſolùm hauſtum ſequentem, cũ alias medicamentorum formulas plane faſtidiret æger. ℞ *Aq: Lact: al:* ℥ i ß. *Diaſcord:* ʒ ß. Ms. ſumat quam primum, & repetatur 4 quaque h: ad tres vices.

Hinc alvus remiſſius, ter nempe vel quater in 24 horis tantùm ſolvebatur.

Die 5° aliquantulum intumeſcere cœpit facies, & eminentiores conſpectioreſque fieri eruptiones, jam puſtularum nomine donari merentes, & quales quod ſciam vix unquam alias me vidiſſe memini; maculæ etiam quædam latæ, rubræ, & figuræ multiformis, hinc inde puſtulis tum facie tum manibus interſperſæ efflorescebant; De quibus ſolum in hoc Morbo mentionem facit *Cl: Morton* (ne verbulo de Exanthematum quod ſciam facto, certo per incuriam) utpote etiam de earum hoc morbo die periculoſa admodum apparentia, cum

E revera

revera communiter & regulariter ſe habente morbo hoc tempore latiores & expanſiores cum bonis ægri rebus conſpici ſolent.

Febris & ſymptomata reliqua adhuc licet mitiùs infeſtabant; ſuperveniente tamen tuſſi admodum moleſta, bolum unum & alterum formula ſequenti exhibendum, & debito temporis interſtitio repetendum curavi, quo tuſſim, ſomnum blande conciliando demulcerem.

℞ *Ther: Andr:* ℈i. *Pul: e ch: c: c:* gr. vi. Ms. f. Bolus quamprimum ſumendus & poſtea, ut domi norunt repetenda, ſuperbibendo hauſtulum Cordialis Perlati.

Die 6 faciei tumor adhuc auctus erat, ita ut inſtar variolis laborantium quarto ab eruptione die apparebat; Quod etiam ſymptoma præter omnem morbi hujus conſuetudinem eveniſſe judico.

Quotidie ſedes habuit tres vel quatuor, evaneſcentibus die ſeptimo puſtulis maculiſque ægro etiam poſt unum & alterum diem convaleſcente, niſi quod tuſſis parum urgeret, quæ quoties alvus ſtrictior eſſet, pejus, & quoties laxior, (quovis demum modo id procuratum eſſet) melius ſe habebat. Hunc ſane fluorem intra terminos ita conſtrictum, benignum morbo huic periculoſiſſimo eventum præbuiſſe ſentio, aliter enim adeo in immenſum excreverat intra humorum ſuburram nidulans vene-

venenoſum morbi hujus fermentum, ut forſan vel præcipitantius æger periiſſet, vel ſaltem tardius (ad vigeſimum enim diem non ſine unguium, capillorum, imo cuticulæ ipſius univerſæ ſquammatim deciduæ diſperditione in declinatione ſua, affectum hunc perſtitiſſe vidi) vix & ne vix è Flammis ereptus fuiſſet.

OBSERVATIO XII.

De dolore & aliis quibuſdam ſymptomatibus periculoſis à frigoris ſuſceptione.

JUvenem quendam vigeſimum annum agentem, temperamenti bilioſi & habitus gracilis, à ſubitanea veſtium ob æſtatis fervorem mutatione ſuſcepto frigore invaſit dolor, per univerſum corporis habitum extenſus, præſertim autem, uti aiebat, oſſibus cum artuum & juncturarum rigidate quadam infixus.

Hunc etiam comitabatur frigoris cujuſdam ſenſus ex uno corporis extremo ad alterum multoties in die invadentis, & inſtar aquæ gelidæ ſenſim dilabentis quaquaverſum perceptus, erumpente etiam eodem tempore ſudore per totam cutis ſuperficiem ſatis calido & benigno, hiſce etiam accedit frequens capitis vertigo, appetitus dejectus, cum ſtrictura quadam mediam abdominis regionem tranſverſim moleſtiſſima afficienti. Symptomata hæc ſpatio duarum ſeptimanarum, licet ægrè ſatis ſuſtinuit, tandem autem eorum pertæſus in auxilium Pharmacopolam accerſit. Ex cujus conſilio, miſſo ſang: ad ℥ xii. doloris eximiam per horas viginti quatuor nec diutius

utius percepit mitigationem; recidivanti igitur ſuccurrere conabatur idem vomitionem procurando uno die, & die ſequenti purgationem, idonea etiam quam plurima exhibendo medicamenta, uti ſunt Boli, Hauſtus, Julapia, Cordialia, &c. ſingulis morbi indicationibus prout ille conjectabatur, tandem ſatis factura; interim quod primum locum tenere judicabat, ægroto omnem prorſus Cerviſiæ tenuis uſum, ſub pœna maximum vitæ ſuæ diſcrimen ſubeundi, ſi ſecus fecerit, interdicendo. Nullo autem hanc copioſam ſuam eorum quæ averſabatur ingurgitationem, & ab iis quæ vel avidiſſimè peteret abſtinentiam levamine inſequente me accerſit. Ægrum vertiginoſum reperi, ſitibundum, pituitam ægre è faucibus præ viſciditate ſua rejicientem, ob internum viſcerum æſtum magnopere anhelum, denique, de cerviſiæ tenuis, aquæ ſucco Limon vel Aurantiorum impregnatæ, vel hiſce ſimilium, ad ſitim quæ eum maxime premebat inopia, malorum omnium, ut ſua tunc ſtetit ſententia, graviſſimo conquerentem.

Pulſus debilis erat, & vires adeo diminutæ, ut vix pedibus corpus ſuum ſuſtinere valeret.

Cum autem plurimum de ſiti & calore interno quereretur, & ex urina admodum turbida, magnam humorum a-

gitationem & incendium à prægræſſis per vomitionem & purgationem evacuationibus merito ſuſpicarer; ne in partem aliquam nobilem è ſanguinis gremio portiones aliquæ tumultuantium humorum diverterentur, ſanguinis miſſionem in modica tantum q: quamprimum conſului, qui inſtar carnium loturæ putrælaginoſus dum incaleſcebat apparuit, conſiſtentiæ ſeu texturæ fibroſæ penitus expers, poſt refrigerationem pellicula tenaci & lutei coloris, quæ partium nutritiarum ejus propter inflammationem febrilem inſpiſſationi debetur, intectus.

Poſt V.S. cereviſiæ tenuis hauſtum quantum voluit indulſi, & ejuſdem uſum quoties & quantum voluerit conceſſi; ex cujus primo hauſtu ſe adeo relevatum eſſe percepit, ut jam priſtino animi robore reaſſumpto de convaleſcentia ſe neutiquam deſperare ſtrenue affirmabat. Clyſterem è lacte & ſacharo culinari injiciendum juſſi, unde fœcum quantitas ſtupenda quæ poſt finitam medicamenti purgantis operationem viribus ejus penitus exantlatis in inteſtinis ſubſtitiſſent, foras ejiciebatur. Hinc penitus evanuit vertigo, viſcerum æſtus, ſitis, oris ariditas, ſalivæ viſciditas, & etiam magna ex parte artuum debilitas.

Nocte ſequenti exhibui bolum & hauſtum ſeq: ℞ *Tart: vitr: Sal: prunel: an:*

℈ ß

℈ ß. *Conſ: Lujulæ* ʒ ß. *Syr: Limon:* q: ſ: Ms. f. Bolus. ℞ *Aq: Theriacal:* ℥ i ß. *Suc: Limon:* ℥ ß. *Syr: Viol:* ʒ ii. Ms. f. Hauſtus poſt Bolum ſumendus.

Nocte ſequenti bene dormivit, & mane ſeq: ſanitatem ejus adeo promotam inveni, ut nihil amplius præſcribere mihi viſum eſt præter Ptiſanam ſeq: ad humectanda & laxanda viſcera ab humoribus acribus & medicamentis violenter operantibus nimis calefacta, ℞ *Decoct: hord: cum Tamerind:* ℥ i. præp. ℔ ii. Colaturæ admiſc. *Mannæ* ℥ i. *Tart: Vitr:* ʒ ii. Ms. f. Ptiſana, de quo ſumat hauſtum frequenter, ita ut tota exhauriatur intra duarum vel trium horarum ſpatium.

Hujus operationem ſequutæ ſunt quatuor vel quinque lenes alvi dejectiones, ægro abſque ullo aliorum medicamentorum ope ſenſim & gradatim ad priſtinam ſanitatem reſtituto.

OBSERVATIO XIII.

De Febre Vaporibus, vulgo dictis conjuncta.

VIR quidam obeſulus, & conſtitutionis phlegmaticæ, cùm ambulandi & liberioris auræ captandæ cauſa in campos huic civitati vicinos exſpatiaretur, Aquæductu ſatis inſignis vulgo *Lambes conduit* dicto in tranſitu ſuo conſpecto, iſtius ad ſitim ſuam reſtinguendam liberalius quam par erat aquas ſibi indulgebat. Hinc ſtatim ventriculo dolebat, poſtea inteſtinorum torminibus cum alvi fluxu per dies 8 vel 9 producto, citra ullũ autem notabile valetudinis diſpendio penè deſinentibus corripiebatur.

Dum autem poſtea e villula quadam tertio abhinc idcirciter lapide diſtanti, ubi res ſuæ eum vocaſſent, rediret, medio ſolum confecto itinere primum ægrotare cœpit, & prius quam ædes ſuas attingere valuiſſet, adeò debilis factus eſt, ut ſtatim ſub primo ejus ingreſſu, ſi non ab adſtantibus adjutus eſſet, præceps in terram deficientibus plane viribus corruiſſet.

Poſtea in lectu compoſitus horulæ unius exacto ſpatio, horroribus variis intervallis paroxyſmorum more, & frequenti

quenti ſtomachi ſubverſione per ſpatium ſemi horæ afficiebatur. Hos calor ingens cum ſincipitis dolore immani excipiebat, qui cum per totam noctem fere eum vigiliis & jactitationibus moleſtaſſent, ſuborto tandem ſudore profuſo, plurimum imminuebantur.

Hoc mane ad illum accerſitus, pulſum ejus debilem & frequentiorem, carnes calore ſicco exuſtas, robur naturale mire debilitatum, caput dolore & vertigine quoties id è pulvinari vel minime erigere conaretur, affectum reperi.

Symptomata hæc admodum periculoſa videbantur, & febris mali moris prænuncia; cum autem urinam bene coloratam conſpexeram, & ſedimento copioſo refertam, periculi minus ſubeſſe mihi facile perſuadebam. Hinc enim certo mihi conſtabat hanc febrem earum eſſe indolis quarum periodus remiſſionibus ſaltem, ſi non intermiſſionibus ſolent circumſcribi.

Plurimum hic ut ingenuè fatear animi pendebam, utrum ſanguinis quantitatem V. S. diminuerem, nam debilis erat ægrotus, & pulſus ejus depreſſus ultra quod crederet quiſquam, ſi non ita ſibi res ipſa conſtitiſſet; Cum autem athleticus erat & magnopere de capitis dolore quereretur, modica quantitate, non ultra ℥ x. miſſionem ejus permiſi.

Hinc

Hinc doloris loci mutatio à ſincipite videlicet ad occiput ſequuta eſt. Sitis expers erat, & proinde pro victu juſculum ex carne pulli, & in languoribus Cordiale Perlatum conceſſi. Enema poſt meridiem injiciebatur ex Lacte Sacharato, ex cujus operatione maximè ſe levatum in viſceribus quæ prius quaſi gravata ſenſerat, percepit; & poſtea cum veſperi acceſſiſſem, calore & dolore capitis, magnopere levatum ægrum inveni. Pulſus item adhuc frequentior ordinario vibrabat, æger etiamſi alacrior, & non adeo debilis ac prius, non tamen & omnino ἀπύρετος erat.

Nocte ſtatim poſt ingreſſum ejus in lectum omnia exacerbeſcebantur de novo, febris, dolor capitis, ventriculi ægritudo, ſuperveniente etiam aliquali lateris dolore punctorio, ita ut noctem vigil & perturbate etiamſi paululum remiſſiùs quam præcedentem tranſivit; tandem circa auroram remittentibus ſymptomatis prędictis, & ſudore copioſè ſuborto, blande irrepſit ſomnus.

Mane illum ſomno plurimum refectum reviſi; urina adhuc in partes ſeceſſit ut prius, pulſus adhuc ut antea frequentior juſtò &, parvus erat. Regimen idem ac pridie & Enematis repetitionem conſului. Hiſce obſervatis ſub veſperam cibum è carne pulli ſibi gratum fore dicebat (modo id impune ſibi concedi ſperaret.) Obtinuit, & nocte

integra

integra ſequenti bene dormivit, diminutis plurimum cæteris ſymptomatis & penitus diſparente febre; Cum autem primo mane ad reſtinguendam ſitim, hauſtum unum & alterum Decocti Hordei, quod forte in promptu erat ingeſſiſſet, illico ſtomacho laborare, & in vomitionem urgeri incepit, nec mirum cum nondum uti veriſimile eſt ex aquæ potu frigidæ noxam ventriculo impreſſam excuſſiſſet; cum autem brevi ſe collegiſſet, & ab ægritudine iſta magna ex parte liberatus eſſet, dum lecto ſurgere aggrederetur ſpirituum deliquio correptus eſt, ita ut mortem inſtare credentes qui adſtarent, me feſtinanter accerſitum ibant; quamprimum autem advenirem, etiamſi lypothymia excuſſa ad ſe rediiſſet, illum languidum inveni & pulſum ejus vix perceptibilem.

Spir: igitur C. C. libera manu exhiberi curavi, unde ſpirituum animalium recuperatis viribus, & emicante pulſu è lecto exivit, adaucto quam animi tam corporis robore. Hoc die cum omnino febris expertem ægrotum reperiſſem, victum liberaliorem, ejuſque delectum conceſſi; quoniam diu antequam in hanc febrem incidiſſet fluxu alvi & omnimodo fere appetitus proſtratione laboraſſet. Mane ſequenti quarto (*viz.*) à morbi initio erupebant ulcuſcula in labiis certiſſimum fugati morbi & redeuntis ſanitatis indicium. Die uno interpo-

ſito,

ſito uſum Aquarum purgant. ℔ iv. ad medias coct: & lact: ℥ iv. coagulat: præſcripſi, ad humores qui per morbi decurſum tam in ſanguine quam viſceribus præternaturalem mutationem qualemcunque acquiſiviſſent, eliminandos.

Operationem aquarum comitabantur febricitatio, ventriculi ægritudo, ingens virium proſtratio,& univerſa corporis laſſitudo, quę omnia copioſę ſp.C.C. exhibitioni magna ex parte cedebant,& ſomno ſuperveniente penitus exulabant.Hæc cũ æqua lance trutinaſſem,& ex una parte mecũ perpendiſſem, quod pulſus parvus uſq; in paroxyſmis, languor ſpirituũ, vomitiores, univerſi corporis laſſitudo,teneritudo carnis ubi affligiſſet dolor,pallor urinæ, ſitis carentia, ſymptomata ſunt febri niſi malignæ nequicquam competentia; ex altera autem vidiſſem calorẽ febrilem cũ pulſu frequentiori, paroxyſmis regularibus ſatis diſtinctum & more febrium cæterarum ſudoribus deſinentem, cum labiorum tandem eruptione ulceroſa critice judicatum ; nihil mihi quantum conjectura aſſequi valebã veriſimilius videbatur, quam quod affectus hic invicem mixtus & complicatus e duabus cauſis diſtinctis oriundus ſe oſtendiſſet, non enim penitus ceſſaverat Diarrhæa, de qua uti prius dictum eſt tam diu laboraſſet, cum ex itineratione nimis longa & citata ſe calefeciſſet ; unde ratione

tioni neutiquam diſſonum videtur, ut humores qui in motu erant, & prorſus per propria cathartica foras eliminari debuiſſent, jam intus ſanguini intimius ſe admiſcuiſſent & è nimis violento exercitio incendium concepiſſent, unde ſymptomata febrilia; & cum è præmemorato eodem alvæ fluxu prægreſſo, & profectione nimis longa & feſtinatiori frangerentur vires, & ſpiritus plurimum exhaurirentur, facile concipere eſt, quomodo ex hoc ſanguinis ſtatu depauperato & debili exoriretur ſpirituum animalium quoad ſuam dathesin paucitas & languor, & quoad ſuos influxus, motus aliquantulum inordinatus ſanguinis circulationi & ſuccorum ſecretioni multifariam injurius. Hinc etiam liquido patet, cur adeo facile pateretur æger recidivam ex Aq: purgativarum exhibitione; Nondum enim ſanguine implexi humores plane exulaſſent, nec vigorem ſuum recuperaſſent ſpiritus, unde è levi ſolum & præmatura excitata in maſſa ſanguinea commotione, de novo efferveſcere incipiebant humores vitioſi, & ſpiritus denuo excandeſcere.

Quas autem egit hîc partes languida fractaque ſpirituum animalium textura vulgo *Vapores* dicta eventus docebit.

Hinc enim de alacri ſubtriſtis & cogitabundus factus eſt, ſpiritus vacillabant,

tum

tum vitalis, tum animalis, deficiebat appetitus, & tota nutabunda quaſi brevi ruitura ſtetit machina.

Ægrum & aſtantes admonui non tantum ſubeſſe, quantum iis videbatur periculi. Decoctum Amarum S. S. per aliquot dies præſcripſi, & poſtea Electuarii & Tinct: ſeq. ℞ *Conſ: fl: cich:* ℥ i ſs. *Limat: chalyb: ſubtil:* ʒ ii. *Tart: Vitr:* ʒ ſs. *Syr: de 5 rad: parum*, Ms. f. Elect: de quo ſumat q: n: m: manè & h. 6. p. quotidie, ſuperbibendo Tinct: Chalyb: Amar: (cujus deſcriptio ſupra extat) c. 5. beneficio, brevi ad priſtinam ſanitatem reſtitutus eſt.

OBSER-

OBSERVATIO XIV.

De Ophthalmia contumaci.

JUvenis quidam, temperamenti bilioſi, & habitus corporis macilenti, moleſtiſſima humorum defluxione oculum unum obſidenti graviter per ſeptimanas duas laborabat. Plurima collyriorum, & Cataplaſmatum forma medicamenta juxta amicorum nunc unius nunc alterius ſententiam compoſitorum fruſtra expertus, tandem ope mea uſus eſt. Cum igitur ægrum, præ dolore ab inflammationis vehementia orto adeo torqueri viderim, ſtatim omni mora ſepoſita phlebotomiam ad ℥ xii. & ejuſdem repetitionem interpoſita purgatione leni ex *Aq: purg:* ℔ iv. cum *Mannæ* ℥ i ß. & *Tart: Vitr:* ʒ i. etiam ad aliam vicem cum alia inſuper purgatione, ſi nihil mitiùs ſe haberent ſymptomata, conſului; verum incaſſum, adhuc urgente membranæ adnatæ, etiam & palpebrarum inflammatione, cum ingenti & dolorifica laticis aquoſi & acris effuſione, ita ut penitus fere interrumperetur ſomnus, & omnium ciborum averſio inſequeretur. Ad collyria igitur, extorta prius aliquali ab exhibito hauſtu paregorico ſymptomatum allevatione

confugere coactus, ſequens (quo melius hiſce caſibus in praxi haud expertus ſum, adjuncto *Vitr: alb: gr:* ℈ ß. quoties inflammationis expers ſit defluxio) præſcripſi. ℞ *Aq: Plantag: Spermat: Ranar: Roſar: rubr: an.* ℥i. *Tutiæ optimæ præp: ceruſſæ optime lotæ c: c: uſt: an.* ℈i. *Sach: ſatur:* ℈ ß. Ms. f. collyrium quod ex ſpongia admodum molli exceptum, in oculum ter quater vel ad libitum in die inſtilletur, & externe etiam leviter aliquoties ei applicetur.

Hoc autem, prout etiam aliquo alio à nobili quadam admodum celebrato ne hilum hic proficientibus, ad uſum cataplaſmatis ex medulla panis albi cum vitello ovi, adjecto *ol: roſac:* tantillo compoſiti, & ultimo ad linimentorum camphoratorum, & indolis quantū potuerimus anodynæ uſum, interea etiam veſicatoriis amplis inter ſcapulas & intercipientibus emplaſtris ad tempora applicatis, ſucceſſu quidem nequicquam adhuc feliciori nos recepimus.

Quocirca poſt aliquot dies horum uſu nequicquam cedente morbo inutiliter inſumptos, inflammatione etiam jam oculum alterum vel pari atrocia petente, accedente item præter dolorum egregia utriuſque oculi viſus diminutione, aliâ quamprimum methodo qua contumaciſſimum periculoſiſſimumque hoc ſymptoma dimo-

dimoveremus, ad humorum (*viz.*) acrimoniam corrigendam præcipuo colliman-tem modo ſequenti aggreſſus ſum. ℞ *Extr: Rud:* ℈i. *Colomel:* gr. xii. *Riſ: Jal:* gr. iii. Ms. f. Pil. v. deaurandæ primo mane ſumendæ, & aliquandiu ſuperdormiendo, cum regimine. Copioſa & benigna ſequuta eſt operatio, poſtea plurimum remittente inflammatione, ita ut ex earum ad tres vel quater vices, interpoſito unius vel duorum dierum intervallo, repetitione, ad priſtinam oculorum ſanitatem & viſus aciem reſtitutus eſt.

OBSERVATIO XV.

De Diarrhæa.

Generoſa quædam, gracilis & rarioris corporis texturæ, aliquantulum cogitabunda, & mœſtitiæ citra cauſam ullam manifeſtam nimis dedita, Diarrhæa laborabat, quæ illam in corporis marcorem extremum, & virium debilitatem deficientibus etiam ſomno, & appetitu, brevi induxit. In horum omnium ſymptomatum levamen *Theriacæ Androm:* Bolos aliquot proprio ſuo conſilio per aliquot noctes ſumpſerat, quorum ope mitius ſe habebant priora illa ſymptomata, eorum loco ſuborientibus aliis nihilo minus moleſtis, artuum (*viz.*) tremoribus, ſpirituum corruſcationibus, capitis doloribus, & ſudoribus profuſis, quæ illam adeo fatigarunt ut in ſubſidium medici opem implorare coacta eſt. Primo ſtatim adventu adfluxum coercendum (etiamſi admodum debilis erat) Potionem ſequentem propinavi. ℞ *Aq: Lact: alex:* ℥ ii. *Cinam: fort:* ℥ ß. *Rhubarb: torrefacti* ℈ ii. Ms. f. Potio ſtatim ſumenda, cum regimine. Quater dejecit; poſt ejus operationem pro potu communi decoct: alb:, & viribus reficiendis Cordiale Perlatum ordinavi.

dinavi. Nocte ſequenti bene dormivit, & longe melius ſe habuit. Perendie potio purgativa, & tertia vice alterius diei intervallo repetebatur. Hiſce peractis evanuit diarrhæa, & cætera quotquot eam comitari ſolebant ſymptomata. Jam igitur me ad cauſæ antecedentis ſeu primariæ remotionem contuli, ſanguinis, (*viz.*) dyſcraſiam, in nimia ſeri abundantia & acrimonia fundatam, quod genio ſuo nimis agiles functiones tum animales tum naturales alternatim, ſtimulis ſuis adoriendo & urgendo ſymptomata præcedanea produxiſſent. Huic fini intentus ſequentem methodum inſtitui, ℞ *Fol: Sennæ mundatæ* ʒ i. *Rhabarb: opt:* ʒ ſs. *Cinam:* ℈ i. *Coq: in aq: f.* q. ſ. *ad Colat:* ℥ iii. cui admiſ. *Syr: roſ: ſol:* ʒ ii. f. Potio mane ſumenda cum regimine, & poſt biduum repetenda.

Evacuationibus his ad ſeri redundantiam minuendam peractis, alteram intentionem medicinalem, ſequenti methodo adimplere ſategi. ℞ *Tinct: Chalyb: amar:* (cujus ſupra extat formula) ℥ ii. f. Hauſtus, mane & h. 6. p quotidie ſumendus. ℞ *Pul: e ch: c: c:* ʒ ii. *Caſt: Rad: caſſumun: pul: an.* ℈ i *Balſ: Gilead:* q. ſ. Ms. f. Pil: ordinariæ magnitudinis, quarum ſumat 4. ſingulis noctibus cubitum itura ſuperbibendo hauſtum ſequentem, ℞ *Aq: Lact: alex:* ℥ ii. *Syr: Balſ:* ℥ ſs. *Tinct: Caſt:* gr. x. Ms.

 Poſt-

Poſtquam autem valetudinem ſatis firmiam ex horum medicamentorum uſu ſibi viſa eſt recuperaſſe, inopinato in febrem incidit tertianæ nothæ æmulam. Poſt primũ acceſſum me denuo conſuluit, interrogans quid de caſu tam ſubitaneo utpote ſine ulla cauſa ſenſibili, vel indiſpoſitione prænuncia contingenti ſentirem. Reſpondi, me illum habere pro effectu ſeroſitatum acrium ſeu bilioſorum, prius in ſanguine ſtabilientium, & conſpirante anni jam vernali tempeſtate fermentantium, & eo collimante natura, ut exinde quaſi critice excluſis fæculentiis, depuratiorem ſanguis ſtatum adipiſceretur.

Ita quidem eventus comprobavit, cum febris hæc non ultra tres paroxyſmos abſque ullius medicamenti uſu tranſcurrebat, & ſingulus paroxyſmus profuſis ſudoribus, cum copioſo in fundo matulæ rubri inſtar ocræ coloris depoſito ſedimento, ſolvebatur.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

Tormina Ventris cum Hæmorrhagia per Anum, à Catameniis ſubſiſtentibus.

CORripiebatur generoſa quædam ætatis ſuæ circa annum 47, temperamenti calidi, & ſanguinei, torminibus ventris atrocibus, primis horis 24 humidis, (quo ſpatio vicies ſaltem dejecit) poſtea vero ſiccis, & proinde longe moleſtioribus, inteſtinis jam muco ſuo quo contra humorum præternaturalium acrimoniam muniuntur, deſtitutis.

Ægram exacto triduo, dolorifico hoc affectu, valde debilitatam, aliquantulum ſitibundam, at febrilis caloris, ſeu cujuſvis in ſanguine orgaſmi prorſus immunem reperi. Nec ulla, unde vel bilis acrimoniæ, & ejus copioſiori in inteſtina effuſioni, vel alicui in eduliis delicto, etiamſi tempus anni herbacii victus copiam, quem ſibi aliàs indulgere conſueviſſet, profuſius adminiſtraret, affectum hunc aſcriberem, indicia occurrebant. Clyſterum uſum ob metum doloris ex eorum intromiſſione orituri, hæmorrhoidibus olim obnoxia, & inteſtini recti exitum valde ex tot ſedibus prægreſſis

jam ſauciatum ſentiens plane reſpuit. Quare Hauſtum ſequentem evacuativum quo fæces leniter deorſum ſolicitarem præſcripſi: ℞ *Aq: Cinam: hord:* ℥ ii. *Rhabarb: parum torrefacti* ʒ i. *Mannæ* ℥ ß. *Tart: Vitr:* gr. vii. Ms. f. Potio quamprimum ſumenda cum regimine. Hinc quater vel quinquies ad excretiones dolorificè ſtimulabantur inteſtina, at fruſtra, cum nullæ eas omnino ſequutæ ſunt dejectiones.

Hæc cum ita ſe habere mihi narraſſet, mecum cogitare cœpi, num non moleſtiſſimus hic affectus ab aliqua cauſa remotiori quam hactenus ſuſpicatus fueram, originem ſuam duceret. Proinde inſpectis ſedibus, in iis, etiamſi minima quantitate erant, quæ ante latebat cauſa, oculis plane ſiſtebatur. Sanguine enim erant oblinitæ, eoque adeo recenti, ut urinæ ejus portio ſimul cum fæcibus exeunti copioſe commixta appareret.

Catamenia per aliquot menſes ratione ætatis ſubſtitiſſe, interrogatione facta, ſtatim deprehendi, & cum nulla prorſus iis reſtituendis ſpes reſtaret, & ægra victu liberaliori uteretur, nulla alia ratione hunc affectum ſubventum iri ratus, quam V. S. qua ſanguinis copiam ſuffocativam minuendo, catameniorum defectui quodammodo ſuccenturiare potuerimus, eum ideo quam-

primum

primum ad ℥xv. mitti curavi, quo facto, intra horarum quinque ſpatium magnopere ſe levatam percepit, & deinceps è torminibus immunis, abſque ullorum medicamentorum ope omnino convaluit.

OBSERVATIO XVII.

De Affectione Hyſterica.

FOemina quædam ætat. plus annos 45, habitus gracilis & temperamenti phlegmatici, primo cephalalgia, qua finita ſtatim tuſſi, ſputatione crebra, ac ſi mercurio excitata, appetitus proſtratione, doloribus ſinciput & totam inſuper faciem periodice, ſexta (*viz.*) quaque h. matutina infeſtantibus & uſque ad veſperam productis, cum frigore, quod calor, poſt aliquot horas ut in febribus intermittentibus, inſequi ſolebat, moleſtiſſimo corripiebatur.

Primo igitur adventu ob alvum conſtipatam, & peccantis ſeri copiam Potionem ſequentem præſcripſi. ℞ *Fol: Sennæ* ʒ ii ſs. *Caſſiæ cum Cannæ confractæ* ℥ i. coquantur in aq: f. q. ſ. ad colaturam ℥ iii. cui admixt. *Mannæ opt:* ʒ vi. f. Potio cum regimine ſumenda. Decies dejecit cum emolumento, ceſſantibus, tuſſi & ſputatione, & redeunte appetitu. Doloribus autem adhuc urgentibus, Empl: veſicatorium amplum inter ſcapulas apponebatur, cujus vi ingens ſeri evacuebatur quantitas, & paulo poſt tempore penitus evaneſcebant dolo-

res,

res, loco frigoris & horroris quæ antea ægram invadere ſolebant, ſuperveniente ſpirituum animalium inflatione & exaltatione, qualem baccho liberius indulgentibus accidere cernimus.

Hoc veſperi *tertio* ſcilicet à meo adventu injiciebatur Clyſter, & cum ægra de aciditate in ventriculo moleſta querebatur Bolum cum *Pul: è ch: c: c:* ℈ i. præp: tertia quaque hora ad tres vices ſumendum, ſuperbibendo c: vi. *cordialis perlati* conſului; hinc placide dormivit, & mane ſequenti longè melius ſe habuit uſq; ad horam duodecimam, quo tempore denuo invaſit illam frigus ad horas tres durans, cum vomitione, poſt unum & alterum nixum, tantillo phlegmatis tenacis rejecto, ſponte ſua deſinenti; caloris etiam loco qui frigus excipere conſueverat, ſuccedente ſudore miti & benigno.

Pulſus debilis erat, & urina admodum cruda, cum ſedimento albo & copioſo ſaturata, ſtatum ſanguinis denotans languidum & ſalinum, chylum recenter ſanguini tranſmiſſum in ſuccum vere nutritium tranſmutandi minus capacem, quin potius eum in quaſdam ſolum minutias corroſiva ſua qualitate comminuere aptum natum, amicum omne cum eo fœdus & ſymbolum reſpuentes, & nunc per ſudores nocturnos, nunc per urinam à reliquo

ſanguinis

ſanguinis conſortio cum magno ægrotæ virium diſpendio emigraturas.

Inſuper etiam jam eam adoriri ceperant frequentes hypocondriorum tenſiones, oſcitationes, & inanitionum ſenſus, (ſymptomata apud vulgus inſigniora hujus morbi *Vapores* dicti audientia) & quibus proinde etiam juſculis, & ſorbitionibus, quaſi victimis, nec fruſtra, placare ſtudent.

Conſilio igitur adſtantium juſcula pulli, Vinum generoſum, vulgo *Tent*, uti etiam Claretum cum Cinamomo & foliis Menthæ ſiccis coctum, vires reficiendi gratia, ad libitum, idque impune, quantum ego obſervaveram, ingeſſit; & cum noctem inſomnem tranſire vereretur, in promptu eſſe juſſi ſequentia, ℞ *Pul: e ch: c: c:* ℈ i. *Caſt: veri* gr. vi. *Conf: Alk: ſ: m:* q. ſ. Ms. f. bolus ad libitum ſumendus cum hauſtu ſequenti, ℞ *Aq: meliſſ: Rutæ puleg: Bryon: c: Diacod: an.* ℥ ß. *Laud: liquid: ſine odoriferis* gr. x. Ms. f. hauſtus, & ſit in promptu. Prius autem quam in ſomnum ſe compoſuerat, ex nova Emplaſtri è *Melilot* applicatione, parte ſauciata adhuc tenera & exquiſitiori ſenſu prædita, capitis dolore, & frigore admodum moleſto in extremis corripiebatur, & utcunque caute id egerit ancilla, vel quævis alia, pari prorſus eventu, quotieſcunq; repetebatur applicatio nova accidit.

Tota

Tota hac nocte (*viz.*) *quarta*, hauſtu aliquantulum præmaturius ſumpto bene dormivit, & cum mane ſequenti illam hilarem, & omnium ſymptomatum expertem deprehendiſſem, omiſſis ceteris victum ſolum, quem ſibi præ ceteris gratiorem ſentiret, conſului.

Cæterum non diu poſtea, cum eam inviſerem & pulſum velociùs vibrantem ſenſiſſem, ſe noctem venturam irrequieto tranſituram ſubindicavi, niſi interponeretur aliquid ad illud præcavendum; quocirca aſſentiente illa, Bolus & Hauſtus ut antea denuo repetebantur.

Noctem hanc *quintam* per intervalla dormiendo tranſiit, & mane ſequente cum aſtrictior erat alvus, exhibitus eſt Clyſtere lacte ſacharato ſolùm compoſitus. Ter operebatur, idque non abſque torminibus atrociſſimis,& inſigni virium dejectione ad horas aliquod infeſtantibus; tam levi occaſione de novo ad excandeſcentiam proni ſunt ſpiritus animales, dum nondum craſin ſuam naturalem & motum recupaverint; Tandem autem illis ad veſperam ſponte ſua ceſſantibus cubitum ivit & noctem integram *ſextam* (*viz.*) placido irrepente ſomno tranſivit.

Mane ſequente (*viz.*) die *ſeptimo*, de novo illam invaſere, ut prius ventriculi ægritudo, cum levi vomitione, capitis dolor,

lor, pectoris lancinationes violentæ, ac ſi intus circumageretur rota (uti aiebat) ſputatio profuſa, oſcitatio, frigus artus inferiores præcipuè afficiens, immanis etiam tendinum ſubpoplitearum rigor, & cordis compreſſio ſyncopoſa.

Hoc ſtatu accerſitus ægrotam inveniens, quo morbo recrudeſcenti obviam irem, methodo ſequenti uſus ſum, ℞ *Pul: e ch: c: c:* ℈ i. *Caſt: ruſſi: Sal vol: c: c: rectif: an.* gr. vi. *Conf: Alk: ſ: m:* q. ſ. Ms. f. Bolus quamprimum ſumendus, & tertia quaque hora repetendus ſuperbibendo c. vi. Julap ſequentis, ℞ *Aq: Lact: alex: Bryon: c: an.* ℥ iv. *Tract: Caſt:* ʒ i. *Sach: alb*: q. ſ. Ms. f. Julapium cordiale, de quo etiam ſumat c. 3 vel 4 ad libitum. Hinc aliquid levaminis ſenſit, nondum autem in tuto rem eſſe conjiciens, me denuo veſperi accerſiri curavit. Adveni & illam cibantem inveni non ſolum impunè, verum cum egregio emolumento. Bolum ſequentem hac nocte exhibui, ℞ *Ther: Andr:* ʒ i. *Caſt:* gr. vii. *Lapidis goa:* ℈ i. Ms. f. Bolus quamprimum ſumendus, cum hauſtu ſeq: ℞ *Aq: Lact: al:* ℥ ii. *Bryon: c: Diacod: an.* ℥ ß. Ms. f. Hauſtus. Nox quieta ſequuta eſt; verū die inſequenti *octavo* (*viz.*) poſt meridiem aliqualem præſentiens ſymptomatum recidivam, me vocavit; Pulſum debilem inveni, & proinde ſtatim *Spir: Sal: Arm:* gut. xxx.

gut: xxx. ex hauſtu aq: ſ. exhibui & eorum repetitionem horatim vel ſepius pro re nata ſuaſi. Horum uſu magnopere profecit, ita ut noctem ſequentem abſque ullo paregorico ſuavem habuit & quietam.

Die ſequenti *nono*, cum pulſu fortius micantem, urinam coloratiorem, ſpiritus animales in priſtinas ſuas ſtationes, & motus reſtitutos, & naturam paulo erectiorem offendiſſem, methodum jam tempeſtive talem inſtitui debere judicavi, & non prius, quæ ſanguini vigorem conciliando, ſpiritus animalibus functionibus præfectis indolem iis ſtrenue & regulariter exequendis idoneam reſtitueret. Proinde ſequentia præſcripta ſunt. ℞ *Decoct. Amar: S. S.* ℥ iii. *Aq: Gent: c:* ℥ i. Ms. f. Hauſtus, mane & h. 5. p. ſumendus quotidie ad triduum. ℞ *Sp: Sal: Ar: ſuccinat:* ℥ ß. *Sumat:* gr. xxv. in hauſtu Aq: f. ad libitum præcipuè in languoribus. Hac nocte & ſequenti graviter morbo vulgo *Ephialtes* dicta moleſtebatur, cujus ſolutionem ſemper ſequuta eſt urinæ ſubpalidæ effuſio frequens & copioſa.

Poſt triduum exactum, methodum ſequentem inſtitui, ℞ *Tinct: Chalyb: Amar:* ℥ ii. f. Hauſtus bis in die ſumendus quamdiu voluerit. Hac ſedulo per unius ſeptimanæ ſpatium inita, omnibus ſymptomatibus ſubactis plane convaluit.

Multi-

Multiplicem quicunque hujus affectus varietatem, umbratilem quaſi aliorum quamplurium, qui hominem tum externum tum internum adoriri ſolent, vel uno hoc ſubjecto exhibentis ſpeciem contemplatus fuerit, vix ſecum diu hæſitaturum credo, quibus, præ cæteris potiſſimum corporis humani partibus inhæſerit. Nullam enim inibi exiſtere præter nervos, ad ejus ſcenam tam verſatilem repræſentandam reperies habilem, num ſymptomatum indolem, ſpectes, ſeu diſcrimen.

Cauſam etiam quod concernit, proximam ſcilicet & immediatam, id, omne eſſe ſtatuo (undecunque demum eveniat) num ſcilicet ab humoribus internis, vel objectis externis; num etiam indolis alcalinæ vel acidæ, etiam vel neutrius, quibus ſingulis aliquando pro virium ſuarum gradu, vel ſubjecti in quod agant diſpoſitione, nocendi vis ineſſe poteſt, quæ ſpiritus animales in muneribus ſuis exequendis quovis modo impediat, vel pervertat; hoc autem ſibi peculiare habens, quod ab eorum, quos adeo ſimulat, morborum eſſentialium cauſis, vel ratione magnitudinis, vel durationis, pro maxima ſaltem parte diſcrepet. Hinc morbi hujus inſultus, vel ob cauſæ debilitatem facile tolerantur, vel ob ejus indolem citius diſſipentur. Unde non immerito ab antiquis ἀναθυμιάσεις ſeu *Vapores*

nuncu-

nuncupantur, utpote à morbis eſſentialibus altiores fixioreſque radices agentibus, ob cauſas ſuas leviores & magis difflabiles præcipue abludentes.

Utcunque res ſit, nihil adeo proficuum in paroxyſmo ubigendo longa experientia edocti ſumus ac medicamenta quæ odoris efficacia & vi pollent, & iſtius generis ſunt aliquando, vel pro ratione cauſæ, vel ægrotantis diſpoſitione ſuave olentia uti ſunt, *Moſch: zibet: Ambr: griſ: flor: Aurant: Roſ: Lavend: cl:* juxta *Cl: River:* præeunte *Solenand: River: Oberſv: 65. Prax:* (mecum) 316. quæ inſignem aliquibus hyſtericis uſum præſtitiſſe retulit, *Cl: Barthol: Hiſtor: Anatom: Cent: 3. Hiſt: 28.* & vel moſchi ſolum odorem fœminæ cuidam menſes prius ſuppreſſos ſtatim reſtituiſſe. *Hiſtor: Anatom: Cent: 2. Hiſt: 87.* Aliquando & pro maxima partibus contraria uti ſunt, omnia fœtida & graveolentia prædita, tum intus, tum extus adhibita, cujus familiæ ſunt *Galban: Aſſæ fœtid:* utpote etiam fumigationes ex Unguibus equorum, & volucrum pennis in ignem conjectis excitatæ, & innares admiſſæ.

His autem non ſatis votis reſpondentibus, præcipuè ubi ſymptomata à ſpirituum motu efferatiori & irregulari oriuntur ad *Opiata*, vel per ſe, vel cæteris admiſta,

quaſi

quaſi ad aſylum confugiendum eſt. Extra paroxyſmum ea omne ferunt punctum quæ ſanguinis novam ei ſenſim inſpirando ζύμωσιν, compagem laxam ejus & debilem reſarciunt, uti ſunt Amara, Aromatica, & cujuſcunque demum præparationis chalybeata.

Unicum denique calci hujus obſervationis adnectam, quod multoties expertus ſum, & proinde aliquibus ſaltem qui non diu hujuſmodo caſtris militarunt prodeſſe poteſt, veneſectionem ſcilicet, in quibuſdam feminis, qui natura calidiores ad viraginum claſſem quam proxime accedere videantur, adeo eſſe neceſſariam ut prætermiſſa illa medicus ſpei ſuæ votique in morbo hoc tractando vix unquam fuerit particeps.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.

De colicis doloribus, convulſionibus, & artuum impotentia, poſt febrem invadentibus.

MUlier quædam poſt febrem malignam (uti retulerunt amici ejus) graviter hyſterica evaſit, ſupervenientibus illi convulſionibus partium internarum, tum externarum, ſeſe alternatim excipientibus, cum artuum inferiorum immobilitate & ſtupore.

Contra hunc affectum varia è fœtidorum familia cum *Caſt: Spiritubus volatilibus*, &c. primo, poſtea *Chalyb:* cum *Sulph:* præp: forma pilularum præſcripſit vir quidam utcunque alias, profeſſione ſua eruditus, noſtra tamen minus exercitus, iis ſuperaddendo uſum aquarum *Hamſted*, quarum quotidie ℔ ii. vel ℔ iii. ac ſi in iis, omnis prorſus convaleſcentiæ ejus cardo verteretur, ſumi quam religioſè præcepit. Hanc methodum per quinque ſeptimanas proſequuta eſt ægra, non ſolum infructuoſè, quin etiam cum ſuo damno, diminutioribus indies factis viribus, & magis invaleſcenti morbo. Acccerſitus, quamprimò advenerim, dum ſtatum ægrotæ impenſiùs

animo inſpexerim, aquas utpote intempeſtive in uſum vocatas me neutiquam hic probare innui; adeò enim debilis à prægreſſa febre ob calorem naturalem imminutum, ſanguinis texturam effætam, & ſpirituum animalium paucitatem facta fuerat ægra, ut tam gravi Aquarum crudarum oneri diutius ſuſtinendo impar, earum diluvio ingenti tantum non ſuccubuiſſe mihi videbatur.

Miram ineſſe fateor aquis chalybeatis vim in ſanguinis textura corrigenda prout pluribus modis à naturali ſua indole deflectat; maxima autem earum uſu cautela opus eſt, cum gladii ancipitis inſtar pro ratione exhibitionis, vel ægrum vel morbum jugulare poſſint. Quandoque enim adeo fæculentiarum copia ſordeſcit ſanguis, ut obſtructiones viſcerum contumaciſſimas producat, quæ chalybeatarum aquarum uſu, omiſſis præmittendis, catharticis (*viz.*) & V: S: in partes nobiliores, cum morte ægroti ſubitanea & præmatura transferantur.

Quandoque adeo in calorem proclivis eſt ſanguis, ut niſi copia ejus minuatur in principio, medio aquarum curſu æſtus accendetur febrilis, non niſi intermiſſo earum uſu, & regimine appropriato extinguendus.

Ultimo non raro accidit, ut in ægrotæ noſtræ caſu, quòd ob viſcerum debilitatem, & ſtatum ſanguinis fractum, & effætum, aqua-

rum uſus non ſolum ſit inutilis, quin etiam admodum inſalubris, & damnoſus.

Sumpta igitur ab iis quæ ægrotæ nocuere, æquè ac à natura morbi, & ſymptomatum, indicatione, curativas intentiones juxta methodum ſequentem inſtitui. Exulante prorſus admodum pernicioſo aquarum uſu, & Clyſtere ex *Com: Decoct: cum Elect: Lenit:* ℥ i. injecto, mane proximo Decoctum Amarum formula ſequenti præſcripſi, bis in die repetendum, ℞ *Decoct: Amar: S: S:* ℥ iii. *Aq: Gent: c:* ℥ i. Ms. f. Hauſtus mane ſumendus, & 6 h. p. repetendus quotidie. Hujus uſu ad biduum continuato, inflationes, dolores colici, qui intenſiſſimi erant, & convulſiones externæ quæ faciem, & pectus præcipuè afficiebant, magna ex parte evanuere, reſtituto appetitu cum priſtina animi alacritate. Clyſteris repetitionem denuo ſuaſi, & poſtea conceſſo victu ad libitum, infuſ: *Chalyb: Amar:* illi quotidie propinari juſſi formula hac ſequenti, quam aliis ſimiliter affectis ante præſcripſeram, & proinde tunc temporis apud Pharmacopolam in promptu erat.

℞ *Limat: ferri:* ℥ ii. *Aq: Lact: al:* ℔ ii. *Abſinth: min: c:* ℔ ß. *Gent: c:* ℥ iv. Stent frigidè infuſ: in Vaſe clauſo decem dies ſubinde vitrum agitando, poſtea addantur *Rad: Gent: Zedoar: Calam: Arom: inciſ: an.* ʒ i. ſummitat *Centaur: min: p: Abſinth:*

p. ß. *fl: Chamem: Sambuc: Sem: cardamom an:* ʒ ß. *Flaved: dimid: cort: unius Aurant:* Stent inſuper infuſa per triduum. F. colaura filtranda ad uſum. Hujus Tinct: ſumat c: vi. mane & h. 5. p. quotidie.

Hujus beneficio, intra ſpatium octo vel decem dierum omnia profligabantur præmemorata ſymptomata, manente ſolum genuum immobilitate greſſum ſuum penitus fere impediente. Non enim de ſedili propriis ſuis viribus ſurgere, multo minus ſe pedibus inter ambulandum ſuſtinere valebat. Quocirca recuperatis jam viribus, & functionibus naturæ vegetius ſe habentibus, ad contumaciſſimum ultimum hoc ſymptoma removendum potiſſimum collimavi; quod, num parcæ & diminutæ ſpiritum animalium generationi, & eorum indoli depreſſæ, vel potius eorum libero in partes moventes influxui ab humoribus vitioſis ibi infixis impedito, potiſſimum aſcriberem, aliquandiu mecum hæſi. Demum autem cum quæ ceteris ſymptomatibus ſpirituum animalium (*viz.*) indolem ſpectantibus arcendis valuiſſent medicamenta, huic prorſus imparia reperiſſem, cauſam ultimam veriſimilius in culpa eſſe mecum ſentiens, ad eam tollendam operam medicam protinus collocandam judicavi, idque ita præſtiti. ℞ *Extr: Rud: Pil: ex Hier:*

cum

cum Agar: an. ℈ ſs. *Res Jalap:* gr. vi. Ms. f. Pil. v. tertio vel quarto quoque die ſumendæ ad tres vices, diebus intercurrentibus perſiſtendo in uſu *infuſ: Chalyb: Amaræ*, ut prius.

Hac methodo ad ſeptimanam unam & alteram, in aere ruſticano inita, gradatim indies imminuta fuit hæc pedum impotentia, & ægrota ad ſanitatem priſtinam integro reſtituta.

OBSERVATIO XIX.

De Variolis irregularibus.

GEneroſa quædam febricitans & dolore capitis & lumborum intenſo laborans cum aliqua ad vomitionem propenſitate Die *Sept.* 8, 1699. decubuit.

Hoc die mittebantur ſanguinis ℥ x.

Die 9 vomebat copioſè è propinatis in hauſtu *Tart: Emet:* gr. iii.

Die 10 erupere Variolæ, uberi eas comitante ptyaliſmo cum egregia (ut ſolenne eſt) ſymptomatum mitigatione.

Die 12 ſupervenit menſium, licet extra terminum conſuetum fluxus copioſus, & æquali tenore ad triduum protractus.

Die 13, pro Eclipſi Solis egregia, notabili influxum alvi incidit violentum, unde intra ſpatium nycthemeri trigeſies alvum depoſuit, à primo ejus exortu prorſus ceſſante ptyaliſmo. Hujus ergo exhibuit neſcio quis Bolum è *Diaſcordio cum pul: e ch: c: c: præp.* ℈ i.

Die 15 nocte vocatus, cum ægrotam ex evacuationibus profuſis, licet jam plurimum remittentibus magnopere innanitam, languidam, & ſitibundam invenerim, potum conſului familiarem ex lactis una, & aquæ tribus partibus ad medias coctis præparatum,

tum, & eſum panis triticei tunc temporis uti retulit votis ſuis maxime irridentem, continuato etiam Boli *è Diaſc:* uſu ut prius.

Hac nocte bis alvum depoſuit.

Die 16 Variolæ pro more confluentium bene & regulariter ſe habebant.

Hac nocte alvi fluori, adhuc licet mitius perſiſtenti, ne cum ægræ periculo ultra metas excurreret, objeci Clyſteris exhibitionem ſequentis, ℞ *Carnis Ovinæ decoctionis* ℔ ß. *Ther: Androm:* ℥ i. *Ovi vitellum unum,* f. Clyſter ſtatim injiciendus. Hinc proſcribebantur excrementa plurima acria, & inteſtina ad dejectiones frequentes irritantia, & adeo dileniebantur viſcera, ut penitus poſtea ſubſtitiſſet alvus.

Die 17. Hoc mane cohibito penitus alvi fluore, & ulterius provecto faciei tumore, etiamſi plane defeciſſet ptyaliſmus, omnia tuta reperi; ne autem de novo recrudeſceret, diarrhæa juſſi hauſtus aliquot amplos *Decoct: Albi* aliquoties in die propinari.

Victu etiam ut prius eodem ex Hydrogala & pane triticeo uti prius perſiſtere conſului, cum autem de vigiliis & inquietudine quereretur, Veſperi die 18. Hauſtum ſequentem propinavi, ℞ *Aq: Lact: alex:* ℥ ii. *Cinam: h:* ℥ ß. *Diacod:* ʒ vi. *Laud: liq:* gr. x. Ms. f. hauſtus quamprimum ſumendus, & ſingulis noctibus, auctiori etiam aliquantulum doſi, ſi opus fuerit. Bene dormi-

vit, cæteris etiam ſe bene habentibus.

Die 19. Hoc mane penitus cæcutivit.

Die 21 adhuc cæcutiit, jam autem quadantenus detumeſcere facies incepit, exareſcentibus etiam aliquantulum puſtulis quæ inter ſe cruſtatæ & coagmentatæ erant.

Manuum autem puſtulæ indies provectiores erant & magis turgidæ, ipſis neutiquam interea uti in genere confluentium variolarum ordinario mos eſt, intumeſcentibus.

22. Jam ſenſibiliùs receſſit faciei tumor, & puſtulæ areſiebant magis; verum cum de puſtularum dolorifico & graviter exurente calore magnoperè torqueretur, ut *Oleum ex amygd: d:* cortice ſua acie cultri non aqua calida denudatis per expreſſioné frigide extractum iis illineretur bis ſpatio 24 hor. curavi, unde egregium citiſſimumq; ſenſit levamen.

Die 23. Hoc die de lecto ſurrexit, & facies ad ſtatum naturalem reverti incepit.

Adhuc paregorici ante præſcripti uſu perſtitit, omnibus voto reſpondentibus, niſi quod puſtulæ in apice natus putridæ, & male olentes, ob earum profundam ibi inſitionem parti deformitatem minarentur, ſexui ſequaci infortunium, vix ullo pretio ſane redimendum. Hiſce ergo, adhibitis prius quæ ſordibus detergendis, & nativo partis calori refocillando præcipuè inſervirent, tandem Emplaſtrum ſequens impo-

imponebatur. ℞ *Empl: Diach: S:* ℥ ſs. *Sper: Ceti* ℈i. *Ol: Lil: alb:* parum. Ms. f. Empl: molle in pannum lineum extendendum. Hoc bis in 24 horis recens impoſito, tandem paucorum dierum ſpatio indies ſubſidentes penitus levigabantur puſtulæ, & in gratiam redibat cum ægra naſus.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

Tuſſis Convulſiva.

PUella quædam ſex annos nata, Tuſſi ſuffocativa, ſeu *Hooping-Cough* vulgo dicta corripiebatur. Hujus tuſſis paroxyſmos decies in die, præter propter violentos adeo ſuſtinuit, ut iis inſtantibus ob expirationem nimis diu protractam, & tuſſiculationibus crebris & contumacibus comitatam, & ea remittente, inſpirationem admodum difficilem, & non abſque erecta cervice & ſonitu clangoſo, cum vultus livore ductam, ob anguſtata exinde bronchia ſtrangulationis periculo verſaretur. Aliquando tuſſiendo pituitę tenacis offam rejecit à pulmonibus per ſe, aliquando etiam magnam ejuſdem quantitatem vomitione ſimul contingente è Ventriculo, aliquando etiam inanis infeſtabat tuſſis alterutrorum expers.

Celebrabatur V. S. ad ℥ vii. ſine inſigni aliquo levamine, poſtea leni præmiſſa purgatione Pulveres abſorbentes, & acidum infringentes præſcripti ſunt ſequentes, ℞ *Ant: Diaphoret: Coral: rubr: ſuccin: alb: præp: an.* gr. vi. *Pul: de Gutteta Ranar: hepat: ſiccat: an.* ℈ ß. Ms. pro ſex chartulis

tulis; ſumat unam tertia quaque hora in cochl: uno ſeq: Cord: ſuperbibendo c: 3. ℞ *Aq: Rutæ puleg: an.* ℥ ii. *Peon: c:* ℥ i. *Syr: fl: peon:* q. ſ. Ms. Hiſce per diem unum & alterum inſtitimus, at nihil omnino inde profecimus. Poſtea ſuaſi uſum *Syr: de ſucco Puleg:* cochleatim ad dies aliquot, quem admodum utilem antea non ſemel in hoc affectu obſervaveram, jam plane improficuum. *Veſicatoriis* proxime uſi ſumus, & revera non abſque eventu felici, præcipuè durante ichoris, non autem diutius, profuſione, & quæ proinde repetita fuiſſent aliis in locis, modo non obſtitiſſet parvuli pervicacia, vel potius lenitas parentum intempeſtiva. Plurimis igitur incaſſum hactenus tentatis, & omnibus fere medicamentorum formulis in nauſeum abeuntibus, mentionem feci de vomitu, cui facile, cum tam ingentem pituitæ viſcidæ quantitatem à ſtomacho frequenter inter tuſſiendum rejici animadvertiſſent, parentes conſentiebant, obſtante ſolum difficilis ejus exhibitione. Hanc facile ſuperari reſpondi, cum furtive medicamentum quoddam fere inſipidum ægro propinare in hauſtu cerviſiæ tenuis cui indies aſſueverat, noveram; me ſolum anxium eſſe quid fieret de ægrota inter vomendum, cum quicquid eo pro potu porrigeretur, tunc temporis illam certo recuſaturam excepta cerviſia, prævíderem; tandem

dem autem ſpe dubia rem aggreſſi ſumus, exhibendo Hauſtum vomitivum ſequentem. ℞ *Tart: Emet:* gr. i ß. f. *pul:* in hauſtulo cerviſiæ communis exhibendus ſub veſperam. Sumpto hauſtu ſepties vomuit, ſingulis vicibus eliminata immenſa phlegmatis ſupradicti copia, ne guttula quidem interea per integrũ vomitionis tempus cujuſvis liquoris intus admiſſa, (idque auſpicatius quidem me judice) cum vires neutiquam deficerent, & benignæ ſatis ſequerentur vomitiones. Mitior hinc indies aliquantulum facta eſt tuſſis, brevi autem ferociam ſuam reſumpſit, ita ut ſalus ægrotæ in ancipiti verſari videbatur. Ego me omnem ſpem in vomitus repetitione collocaſſe dicebam, modo tempeſtive, & prius quam vires nimis dejicerentur propinaretur. Annuentibus iis, ex eodem hauſtu ac prius denuo aſſumpto inſequebatur operatio ut prius, cum eventu maxime deſiderabili, elanguit enim quotidie tuſſis, & ægra ſaluti priſtinæ reſtituta eſt. Convulſiva & recte proculdubio, ſi cauſam ejus proximam, & immediate paroxyſmos (qui ſepe nihil omnino rejecto ſponte ſua recedunt) producentem reſpicimus, cum autem ex indole per vomitionem urgente tuſſi egeſtorum, utpote etiam ex ratione curationis ab uſu emeticorum, adeo ingentem ſeri acris & viſcidi in ſanguine nidulantis, & poſtea è

glan-

glandularum ductibus excretricibus per totam membranam bronchia pulmonum oblinentem diſſeminatarum exſudantis cernimus, magnopere ad id, tum quoad copiam ejus, & malitiam in hoc affectu medendo reſpiciendum eſſe exiſtimamus. Plurima ſuper hoc affectu diſſerendi hic locum eſſe fateor, quomodo ſcilicet tuſſis hæc à Catarrhali ſeu ferina, utpote etiam ab ea quæ è frigore oritur, & etiam ab illa quæ Aſthma non raro extra paroxyſmum comitatur, notis veluti quibuſdam characteriſticis diſcrepet; quæ vero cum longe diffuſius & accuratius tractari mereantur quam patiantur, vel vires meæ, vel inſtituti hujus ratio, ab aliis agi mallem, qui pathologia omni ex parte, & data opera, exornanda, operam ſuam navant.

OBSERVATIO XXI.

De Pleuritide male judicata.

FOemina quædam gracilis, & rarioris corporis texturæ, pleuritide laborans propter anacatharſios defectum, ſecundum *Aph: Hip:* Lib. 5. Aph. 8. tandem empica fiebat. Per aliquot menſes tuſſi, cum difficili anhelitu, quæ eam in extremam maciem perduxit, corripiebatur, ſputum craſſum, viſcidum, & ſubpurulentum quotidie rejiciebat, & poſtea tandem cum intra terminum naturæ ordinarium juxta alterum *Aph: Hippocr:* euſdem *Lib: Aph:* 15. humores putridos ad Pulmones tranſlatos ibique congeſtos, non eliminaverit, in hecticam, vigiliis, appetitu proſtrato, ſumma & virium debilitate comitatam incidens, in extremam vitæ ſuæ deſperationem redacta eſt. Ceterum hoc ſtatu periculoſo, cum vix ulla, ut dictum eſt, vitæ ſuæ ſpes ſupereſſet, de dolore in latere ſub dextra mamma lancinanti adſtantibus queri incepit, quem ſtatim excepit tumor indies augeſcendo donec in apoſtema terminaretur. Circa id tempus quo maturationem acquirere, & in Apoſtema deſinere tumor hic prædictus inceperit per triduum, vel quatriduum quic-

quicquid per os rejecerit, pus fuit merum album concoctum, & conglobatum at omnis fetoris expers; hinc commonefacti qui illam id temporis tractarunt medici, & chirurgi, de abſceſſu aperiendo in conſilium ineuntes, id nulla mora interpoſita fieri convenerunt. Non citius ex apoſtemate aperto ad dies tres vel quatuor effluxiſſet pus ejuſdem coloris & conſiſtentiæ cum illo quod antea è pulmonibus rejici conſueverat, quin penitus evanuere tuſſis, febris, vigiliæ & quicquid illi moleſtum fuerat, & indies de ſtatu deplorato vegetior & robuſtior facta eſt. Cum autem jam adeo convaluerat, & ulcus quotidie contractius ad conſolidationem tendere videretur, num id tuto fieri liceret anxia, me ſuper hac re conſulendum voluit.

Quicquid hactenus de hoc caſu chartis commiſſum eſt, ab ægrota, & chirurgo mihi narratum eſt, à quò dempto prius ſuperimpoſito Emplaſtro, & extracto brevi quodam argenteo qui ulceri cavo inſertus eſſet, quo ſatius per eum transfluerent qualeſcunque illic loci à toto corpore demanderentur humores tubulo, cum nihil vel parum humiditatis effluxiſſe conſpicerem, ſtatim eò ſententiæ deveni ut metu omni ſemoto ulceris (ſi id contingeret) unionem permitterent, linquendo aperturam fontanellæ more piſi continendi capacem, ita ut natura

de

de ſuo propoſito tam ſapienti, & ſalutifero neutiquam averteretur.

A quâ potiſſimum cauſa originem ſuam tulit hic tumor, cum poſt tot menſes à primario morbò laterali ſupervenerit, præſertim cum abſceſſus thoracis cavitatem non intraſſet, haud dictu facile eſt; quantum autem ego conjectura aſſequi poſſum, non aliunde quam à materia iſta præmemorata craſſa, & ſubpurulenta pulmonibus impacta quam toto iſto ſpatio à morbi origine ad hunc uſque diem ſurſum rejeciſſet. Si viarum per quas ex uno loco in alium hæc materia fuiſſet tranſlata difficultas objiciatur, præcipuè, cum ulcus de quo mentio facta eſt, non intraſſe pectoris cavitatem, examine à me quam ſeduo facto, tum ſpecillo, tum candelæ flammam ejuſdem orificio dum quam fortiter expirationem moliretur ęgra, admovendo veriſimiliũ eſt; huic difficultati in promptu eſt reſponſio (*viz.*) quod iiſdem viis quibus a tumore in latere ſuppurato pus ad pulmones tranſlatum eſſet, & per expectorationem rejectum, ut prius notavi, retro à contabeſcentibus pulmonibus enatum transferri potuiſſe. Cujus ſententiæ veritati ſtabiliendæ, quod ſcilicet humores extra arteriarum ora capillaria in partibus ſolidis exiſtentes denuo reſorbeantur ſeu intus ſuſcipiantur poteſt inſtantia anno præterito ſatis notabilis

lis inſervire, in generoſo quodam, cui poſt longam vaſorum hæmorrhoidalium intumeſcentiam, & partium vicinarum inflamationem, accidit earundem ſphacelatio latius & profundius ſe protendens, quam unquam ante conſpexeram. Huic tam fœtidæ carnium moli, dum chirurgus, tum cultro, tum medicamentis amoliendæ operam navaret, mihi jugiter per dies aliquot præſenti, & quoniam æger de difficultate urinæ inter meiendum quereretur matulam inſpicienti contigit, ut urinæ ſuperficiei Terebenthinæ oleum quo chirurgus copioſè tunc temporis in applicationibus ſuis uteretur innatans, cum cæteris adſtantibus non ſolum viſu, quin olfactu perſentirem, idque per plures dies quotidie quamdiu iſtius olei uſum in vulnere tractando conſentaneum fore chirurgus judicaſſet.

Hujuſmodi humorum tranſlationem, quam cæco hoc naturæ ductu, vel viis ſaltem ad ſenſum imperviis contigiſſe aſſerui, aliquibus forſan mere conjecturalem & præcariam videri poſſe non diffiteor; ut autem iis poſſibilitas facti de qua prorſus ſit quæſtio certius conſtet, Obſervationes duas vel tres ex infinitis pene, idque ubi materia purulenta juxta ſtrictum vocabuli *Empyematis* ſenſum, extra ſinum ubi prius collectum eſſet elapſum, intra pectoris cavita-

tem effundebatur, & proinde longe difficilius, quam ubi vaſorum ſanguineorum lacera & apertiora erant ora, in ea admiſſam fuiſſe cuiqam plane innoteſcat, ſubjungere non gravabor, excerptas ex *Ephem: Ger: An: 2. Autore Joh: Ferdin: Hertodi*, p. 230. Obſ. 146.

Ita de individuo ab interitu conſervando ſollicita eſt natura, ut inſolita etiam atque extrema, ne ſuccumbat, tentet. Obſervavi cum excellentiſſ: Dn. D. Dominico de Marchettis *dum adhuc* Patavii *ſtudiis medicis incumberem, quendam ex gravi & periculoſa Pleuritide factum Empicum: Hic cum dolore gravativo, vix non opprimente, difficillimam duxit reſpirationem.*

Ad quam tollendam ea adhibita fuere quæ pus maturare, abſtergere, evacuare, & ſimul vires corroborare apta nata ſunt, ſed fruſtraneo cum effectu: Ut tandem ipſe etiam patiens metu mortis ſubitaneæ ſectionem (quam alias felici cum ſucceſſu adhibitam novit) avidè & inſtantaneo ſollicitaret; Quæ operatio cum ſequenti die opera chirurgica, pluribus in conſilium vocatis medicis peragi debuiſſet, raro de mane Patientem viſitantes, invenimus turpiſſima & purulenta per totum corpus ſcabie repletum, ab omni vero reſpiratione difficili & dolore gravativo liberum, immo ſaniſſimum.

Habui

Habui & ego Brunæ *fimbriarum quendam ex pleuritide Empicum, qui pus in pectore contentum per ſeceſſum excernebat. Is adhibito frequentiori uſu terebinthinæ feliciter curatus, humiliter de facto mihi gratias egit.*

Priori harum prorſus conſimilem nobis exhibuit Doctiſſ: *Jo: de Muralto*, Miſc: Cur: An: 13. Obſ: 146. In caſu altero ab eodem *Cl: Marchetti* recenſito.

Ultimam, quo nullus alius ambigendi locus relinquatur, nobis ſuppeditat Doctiſſ: *Williſius*, in cap: de *Vomica* ad finem, in illuſtri quadam Fœmina, quæ poſtquam ab apoſtemate intra pulmones rupto per anacatharſin non ſatis repurgaretur, fontanellæ in pectore ſecandæ aſſenſit, per quam, etiamſi ſuperficiem tenus ſolum penetrantem, pus idem ac prius per ſputum continuo per aliquot dies rejicere ſolebat, quotidie excernebatur, valetudine ſenſim tandem reſtituta.

OBSERVATIO XXII.

De Scorbuto.

GEneroſus quidam anno triginta natus, temperamenti calidi, & habitus gracilis, etiamſi aere ſalubri & aprico, & quoad victum vel ad normam degeret, in atrophiam incidit, cum appetitus proſtratione, ſpirituum ſubſidentia, & univerſali corporis debilitate; quibus inſuper ſe adjungebant ſalivatio profuſa, moleſtiſſimus tonſillarum tumor inflammatus, & uvulæ relaxatio, ita ut non ſolum admodum difficulter deglutiebat, quin continuo fere ſcreatu, quo ingentem phlegmatis viſcidi quantitatem rejecit, dolorifico tentabatur.

Plurima ſumpſerat medicamenta à medicis in vicinia praxin exercentibus per ſpatium aliquot menſium, at incaſſum. Tandem *Londinum* petens me conſuluit. Pulſus debilis & tardus erat, ſanguinis ſtatum depreſſum aperto indicans, ſomnus moderatus, urina furfure lateritio referta. Inter alia ſtatum ejus prægreſſum ſpectantia, de quibus inter nos habitus fuit ſermo, retulit ſe à multis retro annis eruptionibus quibuſdam in manibus, præſertim circa digitorum juncturas ſquammoſis fuiſſe obnoxium

noxium, poſt aliquam ibi moram, num in-tro receſſione vel difflatione neſcit, ſponte & ſenſim evaneſcentibus; adjecit olim ſe plagis ſeptentrionalibus & maritimis aliquandiu vixiſſe, & non raro tranſmarinis, ubi victus pro maxima parte è cibis ſalinis & induratis conſtabat. Sanguis ejus quorundam inſtigatione miſſus, coloris erat admodum floridi, ſed ſero perfuſus copioſiori. Abſque ullis ambagibus illum ſcorbuto, fecunda omnium malorum, de quibus querebatur matre laborare, pronunciavi. Morbo propter tot ſymptomatum inter ſe diſcrepantium varietatem adeo inſigni, ut eo temporis intervallo quo primum increbuit, quo ſcilicet ad longinquas terrarum plagas, primum navigatio à populo littoribus ſeptentrionalibus degenti navigatio incepta eſt, & quo ad tempora noſtra eſt devolutus, cæteros omnes fere in ſe morbos amplo quaſi gurgite abſorbuiſſe videatur; Cum tamen eum altius attentiuſque contemplanti vix aliud eſſe conſtabit quam cacochymiam ſui generis, ſalſuginoſam (*viz.*) & pravam ſanguinis conſtitutionem, vel victus, vel Atmoſpheræ, vel utriuſque vitio præcipuè acquiſitam, & pro variis quæ in corpore humano metitur ſtadiis, affectuum diverſorum procreatricem. Tædium, & præter inſtitum meum eſſet, illum in ſingulis ejus ſpe-

 ciebus

ciebus & gradibus proſequi. Unum ſolummodo juniorum gratia monere liceat, quocunque ſcilicet demum ſtatu, vel forma appareat, num ſcilicet in fieri, vel facto eſſe (*viz.*) utrum fructiones ſolum leviter afficiat, vel aperto marte prælians eas quodammodo evertat, quocunque etiam corporis regione hoſtilitatis ſuæ notas exprimat, certis quibuſdam, & ei eſſentialiter appropriatis ſignis ita diſtingui poſſe, ſeu innoteſcere, quo minus nobis imponere valeat, & ſui diagnoſin fideliſſimam exhibeat. Si nempe ſub forma morborum eſſentialium, & fixorum, quos ab humoribus partibus intime infixis oriri veteres dixerunt, uti ſunt Colica, Paralyſis, Arthritis, Aſthma, Hydrops, *&c.* prodeat; raro contingit quin vel maculas, vel puſtulas, vel uluſcula in partibus corporis exterioribus, vel gingivarum aliquod vitium, vel ſaltem urinam coloris ſaturatioris, cum ſedimento copioſo & lateritii coloris, unum ſcilicet vel plura horum ſymptomatum aſſidentia, ſeu συνεδρεύοντα dicta, morbum primarium comitantia conſpicies; cui etiam uſu venit quod per intervalla breviora, & quaſi acceſſionibus partitis invadat, niſi propter morbum jam inveteraſcentem, veneno diutius incocto, aliter contingat.

Si

Si morbos aliæ claſſis, qui ſcilicet a cauſa leviori & minus fixa & mobili, utpote à flatubus ſolum juxta veterum opiniones natos fingat hic affectus, quo quidem reſpectu magnam cum morbo hujus temporis, ſi unquam populariter graſſanti neceſſitudinem habere videatur, vulgo *Vapores* dicto, a ſpirituum animalium craſi, vel motu, quovis modo male affectis dependenti, eum, ex urina ſi cætera ſupra memorata deerunt ſymptomata, certiſſimo deprehendes; hæc enim ex ejus colore intenſo & ſedimento furfurem lateritium referenti, vicibus ſaltem quibuſdam, ſi non continuo ſeſe in matulæ fundo conſpiciendum præbenti, affectum hunc inſidioſum, & verſipellem, ab aliis nervoſo generi propriis, & ex urinæ coloris limpido ſigno quaſi pathognomonico ſatis diſtinctis, palam manefeſtabit.

Breviter hæc &, ex compendio dicta velim, non quod ſolum à pluribus Autoribus affectiones quas jam in numero ſymptomatum ſcorbuticorum poſui, velut morbos primarios fuiſſe deſcriptas dum ſanguinem ſolum attingunt, & cum ulteriores progreſſus, nervos & ſpiritus animales coinquinando, fecerint, eas ut affectiones nervoſas indiſcriminatim cum aliis ab alia prorſus cauſa ortum ſuum habentibus, & ſolum vultu affinibus de-

ſcriptas fuiſſe animadverterim; quin etiam quo methodum magis appropriatam, & ab ea qua aliis omni ſcorbuti labe immunibus morbis in aliquibus ſaltem deflectentem, cujus commodum fieri poteſt exemplar in caſu præ nobis vere quidem ſcorbuti indolem referenti, proponerem. ℞ *Decoct: Amar:* ℥ iv. *Tart: Vitr:* ℈ i. Ms. f. Potio mane ſumenda, cum levi regimine, & repetatur *ſecunda* vice poſt triduum vel quatriduum. ℞ *Succor: Beccabung: Naſt: Aquat: Hortenſ: Fumar: an.* ℥ iv. *Limon:* ℔ ß. *Vini Rheni* ℥ iv. Stent vaſe arctè clauſo donec fiat debita per ſubſidentiam depuratio. Cap. ℥ iii. mane & h. quinta p. quotidie, diebus purgatione vacuis. Hac per ſeptimanam unam methodo perſiſtens robuſtiorem ſe ſenſit factum, ptialiſmum imminutum, & ſpem recuperationis effulgentem.

Tertia vice purgabatur aucta aliquantum *Sennæ* quantitate ut prius.

Hinc inſiſtendo in curſu quo inceptus eſt indies carnoſior & vegetior evaſit, ita ut nullum hujus morbi ſymptoma præter tonſillarum tumorem eum affligeret. Quo igitur ei obviam irem, & methodum præcedaneam expeditiorem facerem ſequentia cæteris jam præſcriptis adjunxi; ℞ *Rad: Torment: Biſtort: Ireos fl: an.* ʒ ii. *Cort: Granat:* ʒ i ß. *Hol: Malv: arbor: Prunel:*

an:

an. m. ſs. *Fl. roſar: rubr: Balauſt: an.* p. i. *Sem: cydon:* ʒ i. *Coq: in aq: f:* q. ſ. *In Colat:* ℥ viii. *Solv: mel: roſ:* ℥ i ſs. *Alumuſti* ℈ i. f. Gargar: tepide uſurpandus. ℞ *Conſ: fl: cich: cochlear: an.* ℥ i ſs. *Limat: chalyb:* ʒ ii. *Tart: Vitr:* ʒ ſs. *Rhabarb: raſparati* ʒ i. *Syr: de Cich: cum Rhab:* q. ſ. Ms. f. Elect. de quo ſumat q. n. m. mane, & h. quinta p. quotidie ſuperbibendo *Succor:* ſupra præſcript: q. uſitatam. Hæc fructuoſe ſumpſit ad alteram ſeptimanam nulla interpoſita purgatione cum alvus jam ob *Rhab:* in Elect: immiſtum per ſe ſatis reſpondebat. Poſtea Decocto *Amar:* ſ. ſ. adjecta *Aq: Gent: c:* ℥ i. ad aliquot dies ventriculi roborandi gratia adhibito plane convaluit.

OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

De violentis, tum ſurſum, tum deorſum evacuationibus purgativum medicamentum intempeſtive exhibitum ſequentibus.

VOcabar ad Fœminam quandam quæ quinta poſt parturitionem ſeptimana ab aſſumpto medicamento illi a medicaſtro quodam propinato, per quatriduum vomitionibus, & dejectionibus violentis, magna virium jactura, ſiti vigilia contumaci, dolore ulceroſo toti corpori coextenſo, & gutturis præfocatione ſupervenientibus, magno imminente vitæ periculo laboraſſet. Hiſce ſymptomatibus coercendis, ſublevandiſque tutiſſima, efficaciſſimaque mihi videbatur non obſtante pulſus debilitate methodus ſequens. ℞ *Ther: Androm:* ʒ i. *Lapid: Goar:* gr. xv. *Caſt: Sal: volat: c: c: rectiff: an.* gr. vi. Ms. f. Bolus quamprimum ſumendus, ſuperbibendo Hauſtum ſequentem. ℞ *Aq: Rutæ Meliſſ: an.* ℥ i ſs. *Bryon: c:* ʒ ii. *Tinct: Caſt:* gr. xii. *Sach: alb:* q. ſ. Ms. f. Hauſtus. Repetantur Bolus & Hauſtus poſt 6 horas, ſi non dormierit.

Hiſce non obſtantibus ægram inſomnem evacu-

evacuationibus laſſatam, & tantum non exhauſtam die ſequenti reperi. Jam ideo enema è juſculo ovino, cum Ovi unius vitello præparatum, quamprimum injici curavi, & Hauſtum unum & alterum vini rubri Gallici pane toſto parum tepefacti indulſi, unde ſe admodum refectam retulit. Hac nocte Pilulas ſequentes præſcripſi. ℞ *Laud: Lond: ſine odoriferis, vel Opii colati* gr. i ß. *Caſt: pul:* gr iv. *Sal: volat: c: c:* gr. iii. *Syr: fl: Peon:* q. ſ. Ms. f. pil. ii. h. ſomni ſumendæ, & poſt horas 4 repetendæ, ſi inſomnis fuerit, ſuperbibendo Hauſtum ſequentem. ℞ *Aq: Rutæ Puleg: an.* ℥ i. *Bryon: c:* ʒ ii. *Tinct: Caſt: ſp: c: c: ſuccinat: an.* gr. iv. *Sach:* q. ſ. Ms. f. Hauſtus. Hac nocte bene dormivit, & mane ſequenti ſymptomata fere penitus evanida, & pulſum longe fortiorem inveni. Vini Gallici uſum libere permiſi, & ſubinde uſum etiam Decoct: albi conſului.

Et quò recidivam præcaverem, nocte ſequenti pilulas ſequentes exhibebam, ℞ *Opii colat: Galban: colat: an.* gr. ii. *Caſt: pul:* gr. iv. Ms. f. pil: 2. h. ſomni ſumendæ; mediocriter dormivit ad 3 vel 4 horas, quibus elapſis rediit Diarrhæa cum ſudore frigido, pulſu debili, & magna virium exolutione; quapropter denuo ad pilulas paregoricas quaſi ad aſylum confugere cogebar. ℞ *Opii colat:* gr. iv.

Caſt:

Caſt: Sal: vol: c: c: rect: an. gr. ii. *Gum: Tragac:* q. ſ. Ms. f. Pil. viii. Sumat ii. quamprimum, & repetantur tertia quaque hora ſi non dormierit, ſuperbibendo c. iii. *Cord: Perlati* ſequentis, ℞ *Aq: Meliſſæ cераſi an.* ℥ iii. *Cinam: fort:* ℥ ii. *Menth:* ʒ ii. *Marg: præp:* ʒ i. *Sach: albiſſ:* q. ſ. Ms. f. Cord. ſtatim irrepſit ſomnus uſque ad 8 vel 9 horas magno ægrotæ emolumento protractus; cœterum, mane ſequenti licet eam valde refectam & vultu alacrem inveniſſem, cum tamen pulſum ejus admodum depreſſum, & corpus ſudoribus frigidis perfuſum deprehenderem, opiatorum uſum aliquantiſper intermittere, & medicamentis Cardiacis, & ſpiritibus robur afflantibus rem aliquantulum committere ſatius eſſe duxi.

Cur autem id fecerim ratio in proclivi eſt, ob mutatam ſcilicet ſpirituum animalium conſtitutionẽ. Dum enim urgebant profuſæ ſupra memoratæ evacuationes, æger non ſolum penuria, aſt etiam ſpirituum animalium tumultu, & diſtractione laborabat, & proinde cum a medicamentorum opiatorum uſu in proprios ſuos tramites reducti fuiſſent, facta ſtatim eſt uberior in viſcera eorundem diſpenſatio, unde novo quaſi robore adaucti, munia quæ languidè ſolum antea, jam denuo vegete, uti à fortiori pulſus vi-

bratione

bratione, & majori virium conſtantia palam fuit, præſtiterunt.

Poſtea autem cum opiatorum beneficio ſpirituum tumultus fuiſſent conſopiti, & eorum excurſus inhibiti, non eorum uti prius quæ tum apparebat pulſus debilitatem anomaliis, ſed diminutiori ſolum eorum in præcordia irradiationii, à continua narcoticorum uſu (num quod eos figent vel extinguant videant alii) exortæ deberi merito judicabam.

Pro diſſimili igitur ſpirituum animalium ſtatu, & conditione, diſſimilem plane medicamentorum opiatorum eventum contingere cernimus, & proinde juxta illorum indicationes methodum inſtituere debemus.

Prout mecum igitur ſtatuiſſem, ſequentia præſcripſi. ℞ *Lap: Goan: Pul: e ch: c: c: an.* gr. xv. *Caſt:* gr. vi. *Sal: vol: c: c: rectif:* gr. iv. *Ther: Andr:* (adhuc enim de ventris laxitate aliquantulum ſubmetui) ʒ ſs. Ms. f: Bolus quamprimum ſumendus & quarta quaque hora repetendus, ſuperbibendo c. iii. Julap ſequentis, ℞ *Aq: Meliſſ: Lact: alex: an.* ℥ iii ſs. *Bryon:* ℥ ſs. *Caſt: nod: ligat:* ʒ ſs. *Sp: Sal: Arm:* gr. xx. *Sach: alb:* q. ſ. Ms. de quo ſumat c: 4 vel 5 ad libitum. ℞ *Sp: c: c:* ℥ ſs. *Cap:* gr. x. vel xv. ex hauſtu *Lact: alexit:* liberali quoties voluerit.

Die ſequenti, bis tantum ſumpto medicamento ſupra præſcripto, p. m. h. 6ª. eam inviſi omnium pene ſymptomatum immunem, cibique appetentem. Rebus ſic ſtantibus illam conſului, ut in uſu Sp. c. c. ſolum perſiſteret ad diem unum & alterum, & quibus maxime delectaretur moderate uteretur cibis.

Unum autem hic forſan notaſſe junioribus non ingratum erit, quod ſcilicet per totum hujus methodi curſum medicamenta omnia vulgo hyſterica dicta qualia ſunt, *Aq: Bryon: & Peon: c: Tinct: Caſt: Galban: & Spir: omnes volatiles*, & id genus omnia, in nimis magna q: exhibita, ægrotæ non ſolum ingrata, verum etiam moleſta, & ventriculum ſubvertentia extitiſſe.

Pluribus aliis idem accidiſſe novi, num ob peculiarem ſpirituum animalium texturã, vel quod illis, ſimiliter ac tenellæ è quovis combuſtibuli flammulæ enaſcenti accidat, quam lenis ventus accendit, fortis penitus extinguit, penes ſpeculatores eſto.

Adhuc autem manebat moleſta illa gutturis ſtrangulatio, ac ſi globus inibi perpetim volveretur, unde ægra etiamſi ad ſomnum proclivis, inſomnis fere reddebatur. Huic ſymptomati debellando, cum id nec cæteris Antihyſtericis intro ſumptis, nec in nodulo circa collum geſtatis, nec Em-

plaſtro

plaſtro umbilico applicato ceſſiſſe viderem, ad chalybeata confugi. ℞ *Tinct: Chalyb: Amar:* ℥ ii. f. Hauſtus, mane & h. quinta p. quotidie ſumendus. Triduo huic methodo tantum impenſo plane curata eſt.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

De Icтero critico.

VIR quidam admodum robuſtus, & annos 30 plus minus natus, poſtquam ambulatione, cum quibuſdam ejus ſociis nimis diu indulſiſſet, ſæviente ſyrio & priuſquam deferbuiſſet ſanguis, adhuc ſudoribus diffluens, compeſcendæ ſiti gratia pleniores aliquot, & ſupra modum liquoris cereviſiati hauſtus exſiccaſſet, ſpirituum ſubſidentia, ventriculi nauſea, levi per vices ægritudine, & horroribus etiam frequenter & paroxyſmorum more invadentibus præhenſus eſt.

Hoc ſtatu manebant ſymptomata prædicta graviter ægrum plectentia ad ſeptimanam unam, qua tranſacta, tandem erupit Icterus, univerſum corpus colore flavo & ſubviridi defedans. Non citius autem ſe in conſpectum dediſſet hic morbus quam diſparuere, quæ ſupra recenſuimus ſymptomata, redeuntibus appetitu, virium robore & ſpirituum vigore, ita ut jam ſe longe melius habere, quam a longo jam ſatis tempore vaporibus affligi ſolitus, plane gratulabunde referebat. Pulſus naturaliter fere ſe habebat niſi aliquantulum

quantulum depreſſior, urina intenſe primo micta rubebat, poſtea turbabatur, nycthemeri ſpatio contenta ſua vix deponens; nondum autem adhuc albeſcebant ſedes alvinæ, nec colorem ſuum ordinarium & naturalem ullatenus exuiſſent.

Plurima, hic ut verum fatear, me in hac hiſtoria anxium, & ſuſpenſum tenebant; & quæ inter cetera minus notatu digna ocurrerunt, primum fuit, quod fæces alvinæ colore ſatis tincto, uti ſolebant, excernebantur. Secundum, quod quæ Ictero ſupervenire eumq; comitari conſueverant ſymptomata, uti ſunt ventriculi ægritudo, & dolor foveæ ejus quamplurimum inſidens, ſtatus corporis debilis & elumbis, ſpirituum frequens & ſubitanea depreſſio, appetitus depravatus, & alvi contumax pigrities, hic penitus exulabant, novo eorum loco plane ſuppullulante totius hominis vigore. Hiſce ita ſe habentibus haud ſtatim animo meo, quem mihi ſcopum in limine curationis proponerem facile occurrebat. Unicum tandem mihi dubia adhuc luce verſanti præ cæteris faciendum duplici ratione ſe obtulit; primo, quod id tuto experiri liceret; ſecundo, quod me in certiorem quodammodo morbi hujus aſymboli diagnoſin perducere videretur. Hoc fuit Emeticum, & ſequenti formula miniſtratum. ℞ *Aq: Card: B:* ℥ ii. *Tart: Emet:* gr. iii. *Oxymel: ſcillit:* ℥ ß.

Ms. f. Hauſtus. Sumpto hoc, ſtatim vomitiones pro voto inſequutæ ſunt ſatis copioſæ, & cum iis, ultimis vomendi nixibus bilis uti ſolet puræ, tum quoad colorem, tum ſaporem quantitas eximia. Ceſſatis vomitionibus, ingrediebatur æger lectum ſe ſomno compoſiturus; cujus loco de repente crudeliſſimi ſupervenerunt dolores, ſingulas fere corporis partes præcipuo latus excruciantes, ita ut noctem integram inſomnis, & jactabundus, ab ejulatibus vix abſtinere potis tranſigeret; mane erumpente ſudore & paulatim diminutis doloribus, in ægram placidus per horas undecim irrepſit ſomnus. Poſtridie illum inviſi optime valentem, at ſaturatius longe colore croceo tinctum.

Hinc omni ex animo de obſtructione vaſorum Cholodochorum, dempto ſcrupulo, quæ non ſemel antea in quibuſdam Ictericis inſontia noveram, cujus & exemplum ſatis notabile in Infante qui ab extremorum in aquam frigidam immerſione morbo hoc ſtatim corripiebatur, occurrit *Miſc: Cur: Dec:* 3. *An:* 1. *Obſ:* 86. aliud prorſus de hoc affectu, quam quod vulgo hactenus obtinuit judicium ferre proclivis factus ſum.

Sanguinem hujus prout plurium aliorum affectuum matrem feraciſſimam merito cenſeri judicavi; Hoc enim quaſi totius Continentis oceano primitus contineri,

quic-

quicquid variis iſtius partibus hinc inde quaſi totidem peninſulis, num ſub ſolidorum vel ſuccorum ſpecie, idque ſtatu ſano, vel morbido, quotidiano penſo ſubminiſtretur, vix licet dubitare.

Verum eſſe fateor, haud ſenſibus noſtris adeo proximos ſe ſiſtere diſtinctos magni hujus fluidi ſuccos gremio innatantes, prius quam à cæterorum conſortio quilibet pro ratione partis ſecretricis diſterminetur; interea tamen eos ſingulos inibi prius extitiſſe, ab omnibus niſi Helmontianis quibuſdam de fracedine ab inſito partium fermento enata, (cujus vi ſola omnium ſanguine indeterminate præexiſtentium humorum pro ratione loci vel partis ubi reſidet fieri ſeparationem autumant) etiamſi ſenſibus noſtris prorſus imperceptibili, ſomniantibus, concedi neceſſe eſt.

Integræ igitur & indelibatæ fluidi hujus texturæ effectus eſt ſanitas, quovis modo perturbatæ, morbus, pro varia humoris indole, & ægroti conditione ſub varia ratione enaſciturus Bilioſam ſanguini partem omnibus cujuſcunque temperamenti, vel complexionis ſint, ineſſe fatentur omnes; vix autem ejuſdem indolis in omnibus exiſtere pariter credamus; in quibuſdam acrior & calidior quaſi pene enixa exiſtat, in aliis viſcidior, inertior, & concentiatior; quapropter quoti-

eſcunque ex quavis cauſa, vel extrinſecus, vel intrinſecus maſſæ ſanguineæ mixturā taliter perturbari eveniat, ut pars ejus bilioſa ſeu retorrida ſupra cæteros eam humores conſtituentes efferatior evadat, (non eo uſque autem ut putreſcat, tunc enim febrem accendi veriſimile eſt,) brevi poſt, modo conſtitutio corporis ſat valida ſit, & natura ſat potis è reliquo ſanguine particulas has nocivas quaſi è centro in corporis ſuperficiem ejicere, ſimiliter ac in febribus juxta Aphoriſmum *Hippocr: Aphor: lib:* 4. *aph:* 62. poſt diem ſeptimum accidere aliquando conſuevit, Icterum criticum effloreſcere; cum autem particulæ bilioſæ alterius indolis ſint, (*viz.*) viſcoſæ, & concentratiores, obſtructionibus in glandulis ſecretioni humoris bilioſi dicatis pariendis aptiores, & etiam æger ſit debilioris conſtitutionis, Icterum propriè ſic dictum ſeu eſſentialem enaſci cernimus.

Hinc facile explicatu venit, unde Mulieres (præcipuè conſtitutionis calidæ) hyſtericæ Ictero ſuperveniente critice judicantur, per ſe protinus pro maxima ſaltem parte evaneſcente, utpote à cauſa non adeo contumaci & fixa oriendo.

Hactenus quaſi in tranſcurſu, & præter inſtituti mei rationem, pathologiæ cum venia lectoris, non plane inutiliter uti ſpero; indulſi; ea potiſſimum ductus ratione,

quod

quod exinde aliquantulũ à ſe invicim diſcrepantes ſubnaſci reperimus curativas indicationes, ſpeciatim quoad evacuationes; utcunque enim eas leniter & raro procuratas, ferat hæc Icteri ſpecies quæ præ nobis eſt, utpote in conſtitutione ſanguinis præfervida, ubi particulæ quæ propria ſua indole leniter & ſenſim in bilem, natura nondum violata, ſeceſſuræ erant, jam à motu violento, ſeu exercitio immoderato ſupervenienti, (quo magnopere naturam in ſecretionibus ſuis peragendis prępediri, & velut interturbari certum eſt,) adeo copioſe, & ſupra modum excoquuntur, ut eas utpote ſibi oneroſas, & injurias, in corporis ſuperficiem è gremio ſuo ejiciendas natura præmature moliatur: nihilominus tamen fortiores, & frequentiores, num ſurſum vel deorſum prorſus recuſet, uti ex hac inſtantia ægroti noſtri jam allata conſpicuo ſatis patet. Cum interea in ea hujus morbi ſpecie, quæ ab obſtructionibus gignitur, nihil æque proſunt ac evacuationes, tum ſurſum, tum deorſum præſertim in principio curationis, & cum contumax & diuturnus ſit affectus, modo non deſint vires.

Nec ſolum in medendis hujuſmodi affectibus cautela aliqua adhibenda eſt in evacuantibus, quin etiam in medicamentis vulgo alterantium claſſe repoſitis, caute & quoad caloris gradum cum aliquo diſcri-

mine adminiſtrandis; cum enim aliquibus ſanguine viſcidiori, & frigidiori præditis, præter evacuationes obſtructionibus expediendis utiles, adhibenda inſuper ſunt medicamenta ex ſalibus fixis, & ſtimulo fortiori prædita, uti ſunt Herbæ omnes amaræ, & eorum extracta, *Extr: Croci*, *millepedes*, &c. cum ſingulis quorum aſſociari debet ſemper chalybs, abſq; quo vix ullatenus in medendo proficere ſperemus, quotieſcunque contumaciorem evaſiſſe morbum cernimus. In aliis tamen ubi ſanguis volatilior & acrior exiſtat, ab iis abſtinendum omnimode eſt, & eorum loco ſubſtitui debent quæ blandam & mitiorem ſapiunt indolem, quorum uti ut jam digreſſionem finiam, & methodum in ægroto curando reaſſumam, ſpecimen ſuccinctè exhibiturus ſum.

Poſtridie igitur poſt vomitionem peractam, & exinde productorum ſymptomatum ſedationem, ℞ *Herbar: Meliſſ: Fumiter: Taraxac: Cichor: integri*, *an.* m. ß. *Flor: Calend:* p. i. coquantur in *Seri Lact:* ℔ iv. lento igne ad horæ quadrantem. Poſtea adjecto *Becabungæ aquat:* p. i. Stent clauſo vaſe fictili infuſa ad horam unam, f. colatura clara ad uſum. Sumat ℔ ß. pro vice, bis in mane, & ſemel p. m. quotidie. Omni ejus potu inſuper ordinario guttas aliquot ſp: acidi *Salis Arm:* qui pro ſpecifico

à quibuſdam in hoc morbo (& in hoc iſtius genere proculdubio ſi unquam) perhibetur, inſtillari conſului. Poſt hujus uſum quatriduanum imminuta lixiviali ejus tinctura, fere ad colorem naturalem rediit urina; aliquatenus etiam de intenſa ſua flavedine remittente cutis ſuperficie. Cum autem ægrè, & tardè reſtitui horum remediorum ſolum ope videretur, ulteriori ejus uſu intermiſſo, ægrum ad uſum *aq: Tunbridgenſium* relegavi, quæ cum ob earum ferrugineam virtutem quam maxime unioni & colligationi ſingularum partium ſanguinem conſtituentium inſerviant, hujus affectus, cujuſcunque demum indolis, curationi magnopere prodeſſe ſoleant, tum hic potiſſimum ob vim earum mineralem à magna aquoſitatis redundantia aliquantulum retuſam adeo profuerunt, ut intra duarum ſeptimanarum ſpatium æger priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

OBSERVATIO XXV.

De Hydrophobia.

QUidam è domeſticis Primarii cujuſdam viri, illum hinc in *Hollandiam*, illinc ad Oppidum vulgo *Reſwick*, ubi tunc temporis ſummi Europæ Principes, vel eorum Legati pacis ſtabiliendæ cauſa congregarentur, proficiſcentem aſſequutus, dum ſtabulo inter equos verſaretur, à cane Danico, qui uti eventus comprobavit poſtea, jam rabiiſſe inceperat, fuit morſus, ad finem menſis *Oct.* 1697.

Ab illo tempore ſalute inconcuſſa adhunc uſque diem Dec: (*viz.*) proxime ſequentis 11 gaudierat. Hoc die, atque etiam per dies aliquot præcedaneos cogitabundus aliquantulum, & ſubtriſtis erat, & ſub veſperam de frigiditate, & ſtupore quodam faciei moleſto ea iſtius parte ubi morſus ſui notam ſatis inſignem reliquiſſet, querebatur; Noctem ſolito irrequietiorem habuit, & die ſeq: Aquæ pavor eum inceſſit.

Primum affectus iſtius indicium ſe dedit in ſua ab enematis injectione abhorreſcentia; quo quidem caſu vix ullum de ſalivæ viroſæ diglutiendæ metum propter quem unice, & potiſſimum, rabie affectos a potulentis

tulentis abhorrere aſſerit *Doctiſſ: Liſter*, ægrum occupaſſe ſuſpicari poſſumus, *Exercitat: Medicin:* p.151. 128. *Philoſ: Tranſ:* An. 1683. p. 269. Cum enim ſuper lectum prono corpore jacens appropinquantem Pharmacopolam ad id exhibendum animadvertiſſet, & eum fiſtulam propius ad anum admoventem ſenſiſſet, de repente, motu velociſſimò, inſtar terrore agitati ſe ad latus lecti tranſverſum projecit; incaſſum poſtea bis vel ter ejuſdem adminiſtrationem Pharmacopola moliente.

Die Lunæ ab omnibus potulentis quibuſcunque penitus abhorreſcebat, ſed ſine delirio.

Hoc die mittebantur ſanguinis ℥ xii.

Die Martis emeticum è *Tart:Emet:* gr.iv. in Bolo, at ægre & cum magna averſatione ſumpſit, quod ſtrenue operebatur.

Hoc die ad illum poſt meridiem accerſebar, quem atrociſſimis paroxyſmis convulſivis agitatum reperi.

Eorum intervallis, uti etiam ſub eorum primo introitu ſatis animo conſtabat, omnes quotquot cũ circunſtabant ſeriò monens, ne ad eum nimis prope accederent. Iis autem ingraveſcentibus ſermo ejus delirus & inconcinnus fuit, & demoniacum agere videbatur.

Organa reſpirationis, & deglutitionis præ cæteris partibus eminentius, & crebrius

brius afficiebantur, ita ut nunc ſuffocationibus, nunc inanibus deglutitionis nixibus corripiebatur, ſimili plane modo ac in caſu cujuſdam Hydrophobici referente Domino *Abrah: de la prime Piloſ: Tranſ:* n. 277. p. 1076. & in caſu alterius referente Domino *Joh: Clayton, Philoſ: Tranſ:* n. 210. p. 132. in quibus utriſque omnem prorſus aquæ metum abfuiſſe, & iis ſolum diglutiendi & reſpirandi difficultatem (muſculis earum uſibus præfixis male affectis) accidiſſe legimus. Cæteri corporis muſculi paroxyſmatim afficiebantur, & acceſſionum tempore frequenter adeo valide convellebantur, ut illum in ſeipſum mire quaſi in globum convolvi conſpexerim, & tanta vi, à muſculorum Antagoniſtarum actione, tam rapido motu corpus ejus, & artus in poſitionem contrariam detorquentium adigi, ut non obſtante quatuor hominium robuſtiſſimorum eum in ſedili affixum detinere conantium reniſu, ad ſeptem pedum diſtantiam verſus oſtium cubilis proſiliret, idque ſummo pedum impetu feriret.

Os ſuum in eos ad eum detinendum & regendum conſtitutos in paroxyſmis aliquando iracunde admovebat, ac ſi illos canis inſtar dentibus peteret, at nihilominus ab omni morſu, rationis momentis morbi violentiæ præponderantibus, caute ſeſe coercebat, niſi quod ſemel præ ſumma

morbi

morbi violentia omnis animi libertatem vincente ancillæ pollucem momorderit, cui (ut id hic obiter notem) nihil accidiſſe mali quantum interrogatione ſæpius facta aſſequi potuerim accidiſſe audivi hactenus.

Frequenter notavi caput ejus verſus partem dextram, ubi læſus fuit à cane, fuiſſe convulſum, in qua è cicatrice ſatis inſigni exſtitit morſus veſtigium, adeo autem ab omni dolore liberum, ut plane iſtius morſus oblitus eſſet, prius quam à diſquiſitione à me facta, nunquid, aliquid tale accidiſſet, iſtius recordatione animum ejus refricaſſem. Tantilli eſt ſignum illud præ cæteris pathagnomonicum & individuum à *Cl: L: Salio* (referente *D. D. Liſter*) (ni forſan ſub ejus cenſu, doloris (*viz.*) parte olim morſa ſubnati, ſtupor à me ſupra notatus habeatur) recenſitum.

Pulſus frequens erat, at ille neutiquam ſitibundus.

Liquidorum qualiſcunque conſiſtentiæ fuerunt, num craſſioris vel tenuioris, omne genus aliquantulum averſabatur, & eorum conſpectum non ſine notabili animi commotione, & faſtidio ſuſtinuit; Non autem uſque adeo ea abhorrebat, quin cum illi eorum uſum prodeſſe, modo ea intus admitteret, innuerem, ad id ſe paratiſſimum eſſe reſpondebat, & proinde vitrum liquore appropriato repletum ſuis manibus tenens

nens, & idem celeriter ori ſuo porrigens portionem ejus aliquam per gulam licet timide, & non ſine lucta ſatis-manifeſta tranſmittebat.

Circa h. nocturnam 12, poſtquam panis toſti, & cerviſia madefacti immenſam quantitatem, nec tamen ad appetitus ſui ſatietatem, avidiſſime devoraſſet, abſque ulla fere agonizatione, viribus ejus à violentia & frequentia convulſionum ſenſim deficientibus, moriebatur.

Huic perinde ac pleriſque aliis venenoſæ indolis, & proſapiæ morbis accidit, ut præ ratione veneni quo inficiunt gradu, magis vel minus hominibus iis correptis evadunt exitiales.

Novi ubi morſus canis rabidi cucurbitularum ſolum applicatione abſque ſcarificatione, & poſtea *Theriac: Andr:* in alutam extenſæ ſuper vulnus impoſitione, meo conſilio, vulnerato nullam omnino noxam intulit.

Novi etiam ubi morſus, etiamſi magno vulnere inflictus, imo forſan vel ob iſtam præcipuo rationem à multis jam annis inſons & innoxius extitit; Admodum enim probabile juxta Doctiſſ: *Redi* Obſervationem in Viperarum morſibus a Sanguine, ubi vulnus ſatis profundum extitiſſe contigit, exilienti, foras elotum fuiſſe venenum, etiamſi nullo alio quam qui aliis ordinario vulneribus familiaris eſt,

in

in hoc tractando apparatu uteretur Chirurgus.

Alibi morſus hujus venenoſi labem mitiùs, & leviori gradu aſperſam fuiſſe legimus ex Obſervatione *Abel Roſcii* in *Fabrit: Hildan:* Obſ: 66. qui fæminam à cane rabido morſam, & plurima eorum quæ affectum hunc inſequi ſolent, ſymptomata cum variis eorum recidivis ſubiiſſet, nihilominus aquæ pavoris prorſus immunem vidit & tractavit.

Aliquantulum adhuc magis veneni hujus vim provectam cernere eſt in caſu à Cl: Viro *Jo: Sclimidio* relato *Miſc: Cur: An:* 10. *Obſ:* 20. ſubi levis quædam hydrophobia, morſum inſequebatur quibuſdam intervallis; ubi ſcilicet adeo debilis erat veneni vis, ut naturam velitationibus ſolum ſemel quotannis morborum recidivantium more laceſſere, non unico prælio commiſſo vincere valebat.

Adeo demum morſus hujus venenum aliquando intenſum, & exaltatum eſt pro ratione gradus, quo rabiit ipſe primum canis, uti de Tarantularum morſu refert, Cl: *Baglivus, in Diſſertat: de Anatome & morſu Tarantulæ*, cap: 5. ut ab ejus infectione in corporis admiſſa, multo ſæviora & citius ſoboleſcunt ſymptomata, aquæ pavorem, qui illis continuo adeſt quoties ulla omnino aquæ, vel aliorum liquidorum

aliquo

aliquo modo idea læſorum animo occurrerit, uti in ægro noſtro accidit, uſque ad mortem comitantia.

Num autem huic affectui, cum ad hunc gradum evectum eſt venenum (nam id ſæpe in minori gradu adeſſe plane evicimus) ſolum competat hoc ſymptoma, quaſi ejus pathognomonicon, altioris indaginis eſſe videtur, cum plurimi iique haud infimæ claſſis Autores ſunt, qui idem quibuſdam febribus indolis malignæ ſuperveniſſe aſſerant.

Ex horum numero ſunt *Pet: Borel: Obſ:* lib: 3. Obſ: 38. *Euſt: Rud: de Morb: Venen:* p. 126. & ex ejus relatione *Proſp: Alp: Abr: Merclin:* etiam *Miſc: Cur:* An. 16. Obſ: 220. ubi *Petr: Salium*, & alios eidem ſententiæ, ex hiſtoria facti fidem facientes (eo referente) videre eſt.

Num caſibus ab iis citatis ſuſpicari jure poſſit, Symptoma vel a morſu canino prius forſan oblito iis inflecto accidiſſe, vel a Parentibus ſuis olim eodem morbo correptis tranſmiſſum fuiſſe, fateor me neſcire; Interea autem haud difficilius mihi intellectu videtur,ut à duabus cauſis diverſis idem producatur effectus, quam quod duorum effectuum à cauſis diverſis oriundorũ fiat ſanatio ab uno eodemque remedio, cujus tamen inſtantiam ſatis claram habemus in convulſionis cujuſdam ſpecie, *viz.* Artuum inquietudine à Cl: *Horſtio*, & aliis traditam, quam

quam æque à chorea ſeu ſaltatione in *St. Viti* ſacello (debito interea reſervato Sanctæ honore & reverentia) ad modulamen organi, tunc temporis eo fine pulſati, compoſita ſanari, ac convulſiones Tarantulæ morſu excitatæ, a cithariſtarum muſica, prout incantamento, in Italiæ quibuſdam regionibus plane abigi nobis ab Autoribus fide dignis perhibentur.

Plurimi in veræ hujus ſymptomatis cauſæ inveſtigatione inter veteres, (quorum apud *Euſt: Rudium* & *Codronchum*, qui ultimus librum integrum, & ex profeſſo de hoc affectu ſcripſit, recenſio extat) pari æque ſucceſſu, ac de ejus curatione, cum ſemel invaſit hydrophobia, ſoliciti fuerunt.

Hujus præcavendi gratia præ cæteris remediis obtinuiſſe conſuevere uſtulationes, juxta ſententiam Cl: *Hildani* profunde ſatis factæ, (quarum etiam eſcharis ſeparatio, quo citius procurari poſſit eo melius,) & ſubmerſiones aqua frigida, præcipuo marina, eo quod nonnulli ex eorum uſu incolumes vixiſſe reperti ſunt. Veruntamen quoad hanc ultimam, cum alii poſt morſum, rabiei expertes citra ullam ſubmerſionem, uti prius annotavimus vixerunt, & alii poſtaqam eam ſubierunt rabie hac affecti ſunt, merito mecum dubito, num in hoc luctuoſo ſymptomate efficaciam ſuam ſemper, & ubique exſerat. Huic pluri-

plurimum attribuerunt *Helmontius*, tum Pater, tum Filius, (Viri proculdubio haud vulgaris ingenii) utpote non ſolum ad hoc luctuoſum affectum præcavendum imo & ſanandum, verum etiam ad Amentias omnes cuivis cauſæ externæ originem ſuam debentes, modo ita peragatur, ut vi ſatis magna adacti, qui eam ſubituri ſunt, intra aquam, quouſque pene ſuffocentur, ſubmerſi detineantur.

Hujus autem effectus explicationem nihil minus quam cauſam hujus morbi ab iis aſſignatam, utpote principio ſuo ſolo *Aquæ-igneo*, tenui admodum tibicine ſuffultam, omnino rejiciendam eſſe exiſtimo.

Alterutro horum elementorum prædominium præ altero adepto morborum omnium rationem conſiſtere Viri illi clariſſimi aſſerunt, & proinde uti Ignis hujus vitalis inflammatione rabiem fundari, ita ab iſtius inflammationis extinctione à dimerſione ſub Aquis facta penitus eam tolli credunt.

Principium hoc diu ante à celeberrimo Hiſpano *Gometio Pereira*, in libro de Novæ veræque Medicinæ experimentis, *&c.* excogitatũ erat ad alias haud minores in Phyſica ſcientia Paradoxas explicandas, quomodo autem abſque intuitivæ, ſeu abſtractæ (uti vocant) tum unius, tũ alterius (nam utrique de hac magnopere ſe jactabant, & ſimiliter etiam ut par eſt credere ſapiebant) ſcientiæ beneficio

beneficio intelligi poſſint, mihi ſane vix innoteſcit.

Quantum ſane ad me attinet, ſi in re adeo abſtruſa aliquid proferre auſim, hoc morbo correptis ob convulſiones muſculorum diglutitioni inſervientium, (quas revera iis accidere ex canum ipſorum, hoc affectu laborantium ad lambendum multo minus diglutiendum impotentia, ut in obſervatione à Domino *Clayton* ſocietati Regali communicata,ut ſupra notatum eſt facile nobis conſtet,)& internam tunc temporis febrilis caloris accenſionem, ſemper præfocationis metum adeſſe perſuaſum habeo, ita ut cujuſcunque rei, vel fluidæ, vel ſolidæ appulſum, utpote partium reſpirationi dicatarum cavitatem pertranſituræ, & ita aeris ingreſſum impedituræ, etiam vel aeris confortiorem introitum (uti ex Obſ: alia *Petr: Borel:* lib: 1. obſ: 74. & aliorum à me ſupra recenſitorum apparet,) magnopere reformident, & vel ab aliqua iſtius generis imaginatione penitus abhorreant.

Quantum ſpectat ad ſubmerſionem ipſam, & rationem qua ab hoc morbo ſanantur aqua ſubmerſi; utpote eam revera maxime præ cæteris omnibus in hoc affectu efficacem, modo juxta præceptum Helmontianum ſatis ſtrenuo peragatur, (quod idem ut ſupra notatum eſt, præcipit *Cl: Hildanus* de inuſtione cujus eſcharæ diſceſſus

K omni

omni arte accellerari debet) aliter enim parum unquam prodeſſe probabile eſt ut diro miſerandoque ægroti noſtri caſu conſtet; ille enim in reditu ſuo per mare, facto naufragio, aquas nando trajecit ſpatio trium ad minimum milliarium, multoties interea opprimentibus undis ſubmerſus priuſquam ad littus pervenerit, tum in eo præcavendo, tum poſtquam acceſſerit, profligando exiſtimem; ita etiam benignum optatiſſimumque ejus eventum nulla alia prorſus ratione contingere credo, quam propter eximiam illam ſpirituum & humorum mutationem, quam renitente & averſante natura producit ſubita & invita in aquam prejectio; cui revera producendæ eam aptam natam eſſe ſatis oſtendit Inſtantia nobis data à Cl: *G: Hogeri, Miſc: Cur:* An: 16. Obſ: 48, ubi in claſſe *Danica* plurimi febre admodum maligna correpti magnopere delirabant, ita ut maxime ſe dare in mare præcepites contenderent, quorum quotquot, ſpreta eorum qui eos cuſtodiebant poteſtate in undas ſe præcipitaſſent, & poſtea ex iis erepti ſervati eſſent, ab omni morbo liberi ſtatim evadebant, cæteris è contrario in ſicco pereuntibus.

Magni facit in hoc affectu profligando vomitiones frequenter repetitas Dominus *Clayton* loco ſupra citato, quibus ſe plures liberaſſe, & quo nomine quam lubentiſſime

illi

illi gratulor; obiter autem interea me notaſſe contigit, virum illum quem ille ſe ſanaſſe retulit, ſymptomate hoc funeſto Hydrophobia (*viz.*) quantum ſaltem ſcriptis ſuis patet, correptum non fuiſſe.

Quoad medicamentorum ſpecificorum genera, quorum operationis modus æque animi noſtri, ac morborum quibus medentur cauſæ aciem fugit, eorum copia ingens extat in *Act: Philoſoph:* n. 187. p. 298. n. 191. p. 408. & *Act: Haffin:* Vol: 2. p. 275. ad quæ, cum nulla egomet adhuc ſatis pro comperto habeam, quorum efficaciam in ſymptomate hoc profligando ſpondere audeam, lectorem lubens mittere vellem; ſperans me, aliqua ſaltem ex parte meo ſatisfeciſſe officio in morbi neutiquam niſi infrequentia ſua mortalibus faventi, hiſtoriam fideliter, etiamſi minus accurate fateor quam fieri debuiſſet, narrando.

OBSERVATIO XXVI.

De Aſthmate, vulgo Pulmonali dicto.

FOemina quædam, 36 plus minus annos nata, optima fruens, tum corporis tum animi valetudine, tuſſi quam comitabatur continua ſputi tenuis rejectio, per dies 15 vel 16 corripiebatur. Per totum hoc ſpatium tempeſtas anni æſtuoſiſſima erat, quæ ſtatim novo ſuborto aeris ſtatu, in nubiloſam undique & pluvioſam præceps vertebatur.

Cum hoc novi cœli ſtatus ingreſſu, ægram invaſit paroxyſmus Aſthmaticus, ita ut jam omni prorſus ſuppreſſa ſputatione reſpiratione adeo difficili laborabat, ut non niſi erecta cervice, & ope muſculorum omnium pectoris dilatationi ſublimiori inſervientium duceret anhelitum.

Hiſce anguſtiis poſita, cum quarto abhinc lapide tunc temporis commoraretur, proprio ſuo conſilio celebrabatur venæſectio ad uncias decem, cujus & aliquorum etiam medicamentorum Pectoralium uſu, ſe à periculoſo hoc affectu liberabat.

Excuſſo igitur paroxyſmo rediit tuſſis, cum ſputatione, ut antea; unde mihi veriſimili videtur eundem humorum, qui dum

dum pulmonibus inſidebat, tuſſim provocaſſet, alio tranſlatus ibi effectum ſuum, juxta partis indolem (*viz.*) Nervos pneumonicos, eos in convulſivos motus irritando exeruiſſe. Spatio autem unius ſeptimanæ ceſſanti ſputatione de novo recrudeſcebat morbus, idque ſolito ferocius; denuo miſſo autem ſanguine, & in uſum etiam aſcitis medicamentis pectoralibus plurimum relevabatur ægra; cum autem intra tres vel quatuor horas recidivam pateretur, me ſtatim accerſiri curavit.

Interrogata illa, num ex aliqua occaſione natum hunc affectum memoria repeteret, etiam reſpondit, ab ingenti pluviæ copia in ſe itinerantem inopinato irruenti, quoniam illius tum primum inſultum pateretur. præcurrentibus ſemper, uti retulit, cephalalgia, tuſſi, calore & frigore quæ mutuo ſe invicem per vices, (uti frequenter affectibus ſpiritus animales ſpectantibus accidit,) per dies aliquot præcedaneos excipere ſolebant.

Primo meo adventu eam extra paroxyſmum reperi, erecto corpore ob difficiliorem reſpirationem, cum tuſſi autem licet humidiori & benigniori aliquantulum conflictantem.

Sanguis denuo priuſquam illuc appuliſſem ad uncias duodecim miſſus fuerat, & clyſter etiam injectus; urina palida erat, cum

autem arteriam fortiter vibrantem, & vires ſatis conſtantes, (licet parum per totum hactenus morbi decurſum comediſſet,) animadverterim, ſanguinis incunctanter uncias duodecim extrahi curavi, unde longe liberior ſequuta eſt reſpiratio; imo cum primum ad V. S. ægrota ſe accingeret, ſe ſtricti anhelitus remiſſionem eximiam perſentiſcere dicebat, ſpe ſolum (quantum fert conjectura) nec vana concepta, ejuſmodi, ac ante ex aliis venæſectionibus, inſequuti ri levaminis.

Poſt miſſum ſanguinem longe melius ſe habuit; & cum jam nil multum urgeret, niſi portio quædam phlegmatis viſcidioris intra bronchia pulmonum laxe pendentis collectio, nullo ſane reſpirationis impedimento, iſtius cauſa uſum *Olei Lini* recenter, abſque igne eliciti è cochleari, ter vel quater in die leniter, & ſenſim diglutiendum, prout ſibi neceſſe videretur, conſului, unde quicquid illic adhæſerit, eam libere ſatis poſtea per anacatharſin rejeciſſe obſervavi. Dietam ex hordeaceis, vel lactis una parte & aquæ tripla ad medietatem cocta, & aliquando ex juſculo pulli tenerioris conceſſi. Poſt biduum ex literis mihi tranſmiſſis illam omnis fere reſpirationis immunem eſſe reſcivi, ſputatione libere procedente; cum autem de inappetentia quereretur, *De-*

coct:

coct: Amar: S. S. ℥iii. *cum Aq: Gent: c:* ℨvi. pro hauſtu, mane & h. 5. p. quotidie ſumendum præſcripſi. Hujus beneficio redintegrato appetitu, ægra poſt aliquot dies ſe extra periculum poni, quantum illa judicando valeret, me per literas fecit certiorem. Die autē poſt literas receptas illam inviſens, denuo ſanguinis miſſionem ſuaſi, indicantibus id pulſu citatiori adhuc, & ſanguinis conditione, qui pellicula tenaci & diſcolori inſtar pleuriticorum dum refrigeſceret, ſemper tegebatur. Poſt hanc V. ſectionem omnis exulabat pectoris anguſtia & tuſſis, perſiſtente autem ſputatione ita copioſa, ut eorum inſtar fere qui hydrargyro liti fuerant, ſalivam, niſi quod aliquantulum ſpumoſior & tenuior erat, effuderit, imo aiebat nuper ſibi ſputationis acceſſionem (nam per vices recurrebat) tam profuſam contigiſſe, ut intra quinque vel ſex horarum ſpatium matulam eadem impleviſſet, & quoad tuſſim & reſpirationem ſe ſemper magnopere exinde levatam ſenſiſſet: Unde facile colligere poſſumus hic humorum μετάστασιν accidiſſe, & prout ad diſtinctas corporis partes affluxiſſent, diſtincta produxiſſe ſymmata.

Similem hujus inſtantiam habemus narrante *Cl: Henrico Moinichen* in *Act: Medic: & Philoſ: Haffnienſ: An.* 1671, *&* 1672. *Obſ:* 78. quam cum non parum ad hujus

affectus dilucidationem conferre videatur, huc transferre haud abs re eſſe videatur, *An.* 1672. 10. *Febr. vocatus ſum ad* C. S. *gravi Cardialgia preſſum, cum inſigni reſpirationis difficultate, ac per moleſto ventriculi ſenſu, addidit videri ſibi mobile quid in Ventriculo oberrare varia circumvolutione ultra medium œſophagum crebro aſcendens, quod reſpirationem jamjam intercepturum videbatur. Motum naturæ examinans, vomitionem ſtatim exhibui ex* Oxymelle *ſimplici ac ſquillitico unde per repetitos vomitus magnam quantitatem mire gravis pituitæ rejiciens æger, ſtatim liberius reſpirari occepit, & à triſti illo ventriculi ſenſu liberari, ſponte per triduum ſuccedente copioſiſſimo ptyaliſmo, ac ſi mercurialibus uſus, poſtea ventriculo iterum corroberato ſatis recte valuit.*

Rebus igitur ita ſe habentibus, nil amplius agendum videbatur, quam quod leniter humores ſeroſos & acidos quibus turgere videbatur ſanguis, per glandulas inteſtinales deorſum ſolicitarem, medicamentis non nimis irritantibus, vel agitationem ſanguini inducentibus, hujuſmodi, (*viz.*) ℞ *Decoct: Amar: cum Sennæ* ʒ ii ß. *præp:* ℥ iv. *Syr: de Spir: cerv:* ℥ ß. Ms. f. Potio, mane ſeq: cum regimine ſumenda.

Sexies benigne operebatur, unde alacrior longe reddebatur, diminuta ſputatione,

&

& penitus ceſſante lateris ſiniſtri dolore qui pridie illam, ſi forte tuſſis urgeret, plurimum excruciaſſet.

Cum autem anhelitum adhuc crebriorem & aliquantulum impeditum præcipuè inter ambulandum, etiamſi intra cubile ſolum, motu leni & neutiquam laborioſo, ſputum etiam coctū, & nulla fere difficultate rejectū obſervaveram, mixturam ſequentem nervoſum genus ſolum reſpicientem, precipuè cum frigidæ humidæq; conſtitutionis erat, continuato etiam Decoct: pectoralis uſu, ut prius præſcripſi, ℞ *Aq: Meliſſ: Rutæ an.* ℥ iii. *Bryon: c: Peon: c: an.* ʒ vi. *Sp: c:c:* gr. xxx. *Tinct: Caſt:* gr. xx. *Sach: alb:* q. ſ. f. Julap: Cordiale, de quo ſumat c: 3. vel 4. frequenter. ℞ *Sp: Sal: Arm:* ℥ ß. ſumat gr. xxv. in hauſtu aq: f. tertia quaque h. vel ad libitum.

Horum uſu, & Purgatione ter debitis intervallis repetita, indies diminuebatur dyſpnea, expectoratione libera procurata, & ægra ſpatio duarum ſeptimanarum penitus convaleſcente.

Poſtea autem ſecurior quam convenerat facta, cum aeri aprico diutius quam debuiſſet, præſertim ſub veſperam ſe commiſiſſet, ſtatim cohibita propter pororum conſtipationem tranſpiratione, dolore lateris de novo corripiebatur, ſponte ſua ceſſante, regimine ſolum calidiori obſervata.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.

De Aſthmate, vulgo convulſivo dicto.

Quædam ſexagenaria habitus gracilis, at integra & inconcuſſa adhuc gaudens valetudine, audita cujuſdam quem intime dilexerat morte repentina, tanto animi dolore correpta eſt, ut ſtatim in uteri ſtrangulationem, ut aiunt, cum gutturis præfocatione incideret. Poſt aliquot ſpatium dierum ei moleſtiſſimo hoc ſymptomate agitatæ ſupervenit ſudor nocturnus adeo profuſus, ut ſingulis noctibus induſium commutare cogeretur. Hunc excepit urinæ fluxus pariter immodicus, ac ſi diabete laboraſſet, & hæc duo ſymptomata alternatim illam afficiebant, unum nocte, alterũ interdiu per aliquot dies, donec tandem deficiente ſudore urinæ fluxus ſolum perduraret. Poſt 5 vel 6 ſeptimanas ſymptomatibus his ceſſantibus, in aliud nihil minus grave incidit, dyſpneam (*viz.*) media nocte inopinato eam primo levius aggredientem, cæterum poſt paucarum noctium decurſum in Orthopneam ſaviſſimam mutatam, periodice certa quadam hora recurrentem, & ad trium horarum ſpatium continuo, paroxyſmi more extenſam, quo tandem

dem terminato, omnis prorſus pectoris anguſtiæ, etiam dum ambularet, vel exercitia domeſtica ut olim obiret, immunis evaſit.

Diu moleſtiſſimi hujus affectus inſultum nullo omnino, vel appetitus, vel ſomni, niſi inſtante paroxyſmo, defectu, non autem abſque magna virium debilitate ſuſtinuit. Nulla omnino aderant huic affectui tuſſis à principio, nec aliqua febricitatio, vel in paroxyſmo, à cujus invaſione uſque ad ejus exitum ægra ſudore frigidiſſimo diffluebat. Comitabatur etiam truculentiſſimum hunc affectum dolor ingens gravativus regionem ventriculi infeſtans, ac ſi pondus inibi gravè ſuſtineret, & ejus abſentia ſenſus divulſarum partium Abdominis ſuperiorum ab inferioribus à ſe invicem, intercapedine inani quaſi in medio relicta, quoad ejus perceptionem diſterminatarum.

Raro, ut prius notatum eſt, tuſſiendi conatu urgebatur, quod ſi forte id contigiſſet, phlegmatis viſcidi aſcenſum in ſuperiorem aſperæ arteriæ partem percepit, quod utcunque tamen niteretur, eliminare non valebat.

Primo igitur meo adventu, cum die præcedenti longe atrocius uti retulerunt adſtantes quàm ſolebat, ægram infeſtaſſet paroxyſmus, & eo magis, cum vel extra tempus conſuetum me præſente jam eam difficulter

ſpiritum

ſpiritum ducere, præcipuè quoties ſe de loco in locum, licet gradu maxime ſuſpenſo moveret, animadvertiſſem (explorato prius pulſu, qui ultra quam quiſpiam facile crederet, emicuit) ſanguinis miſſionem ad ℥ x. conſului, etiamſi quinquies, & eadem etiam quantitate antea intra ſpatium dierum 14 ea peracta fuiſſet; qui ejuſdem coccinei erat coloris ac prius, & poſt ejus refrigerationem ſero abundans, cujus ne guttula quidem in eo, qui prima & ſecunda vice fuiſſet extractus apparuiſſet; nec mirum, cum ex iis ſupra notatis ſatis liquido conſtet, ſanguinem, ex immodico urinæ fluxu interdiu, & ſudoribus profuſis noctu maximam laticis ſui partem diſperdiſſe.

V. S. inſequuta eſt liberior longe anhelitus, & nox tranquilla, ægra à paroxyſmo, imo omni prorſus reſpirationis difficultate libera.

Mane ſequenti emplaſtrum veſicatorium amplum inter ſcapulas apponi curavi, quod adeo efficaciter effectum ſuum ſortiebatur, ut adſtantium ſententia, ex veſicularum cuticulæ inde enatarum diſruptione ſeri ſemilibra effluxerit. Enematis injectionem protinus etiam, cum alvus ſicca erat, conſului, & ejuſdem loco (cum ob hemorrhoidum tumores enematum uſus minus arridebat) *Mannæ* ℥ i. *cum Tart: Vitr:* ʒ i. in Aq. hordei propinari, quoties opus fuiſſet.

Em-

Emplaſtrum etiam hyſtericum umbilico applicandum juſſi, & *Sp: Sal: Arm:* gut: 60 frequenter in aq: f: q. ſ. propinari. Hac methodo inſiſtendo integram ſeptimanam, ab omni aſthmatica affectione libera tranſivit. Die autem ab ultima V. S. octava denuo ſolito tempore, media (*viz.*) nocte recrudeſcente affectu, ægra ad V. S. quaſi ad ſacram anchoram, accerſito chirurgo ſe recepit. Hac ad ℥ vi. ſolum celebrata plurimum imminuebatur acceſſio, placido ſubſequente ſomno. Die ſequenti pilulas ſequentes præſcripſi, ℞ *Extr: Rud:* gr. xv. *Calomel:* gr. xii. *Res Jal:* gr. iii. Ms. f. pil: iv. cap. primo mane cum regimine, & poſt biduum repetantur. Quater ſingulis vicibus operebantur, & per hos dies omnis penitus exulabat morbus anheloſus.

Die autem ultimam purgationem ſequenti mane aliquantulum velitari cepit hoſtis, & proxima nocte aperto marte eam petiit, licet breviori paroxyſmo.

Jam igitur cum nondum adhuc ullam ſeroſi laticis ad reſpirationis organa ῥοπὴν contigiſſe, ſanguinis compagem fractam admodum & debilitatam, morbum periodis certis interſtinctum, celebrata etiam copioſa ſatis humorum per purgationes varias prægreſſas evacuatione, animadvertiſſem, peropportunum corticis Peruviani exhibitioni tempus adeſſe ratus, maxime

me è re ægrotæ judicabam ſi ejuſdem uſum imperarem, & proinde abſque mora ita exorſus ſum. ℞ *Aq: Lact:* ℥ii. *Bryon: c: Peon: c: an.* ʒi. *Cort: Peruv: veri & integri ſubtiliſſ: pul:* ʒi. Ms. f. Hauſtus mane & h. 6. p. ſumendus quotidie. Ad triduum horum uſu perſtitit, quo tempore, num propria conjectura, vel quarundam aliarum mulierculárum ſuggeſtione neſcio, cum ad ejus cognitionem pervenerit, ſtatim eum abjecit, ita ut nullis denuo ad cum ſumendum vel arte vel precibus adduci voluit; Utcunque fuit, ex levi quo illi indulgebat tempore inducias ad dies decem cum morbo obtinuit, quo tranſacto die (*viz.*) *Aug:* 17. cum a nuncio vocatus eam inviſerem, & ejus querelam de contractione quadam hypogaſtrii altius gradatim aſſurgenti, quoad ejus perceptionem uſque dum in pulmonibus, eorum ſtrangulatione inde ſuborta, terminanti audirem, aliam prorſus methodum paroxyſmorũ inſultibus demulcendis ſolum inſervientẽ inſtituere coactus, ſequentia præſcripſi, ℞ *Aq: Rutæ Meliſſ: an.* ℥i. *Bryon: c: Peon: c: an.* ʒi. *Opii colat:* gr. i. *Syr: fl: Peon:* ʒii. Ms. f. hauſtus ſub introitu paroxyſmi ſumendus.

Poſt meridiem anheloſior ordinario facta eſt, & ita perſtitit ad noctem quo tempore circa h. 11. invadebat eam paroxyſmus. Sumpſit hauſtum uti præſcriptum erat,

duravit

duravit paroxyſmus per horæ unius ſpatium ſatis violentus, poſtea autem ſenſim declinavit, & irrepente ſomno penitus evanuit.

Die 18. circa horam decubitus ingruente paroxyſmo ſumſit hauſtum ſequentem, ℞ *Aq: Lact: al:* ℥ ii. *Bryon: c:* ʒ ii. *Opii colat:* gr. i ſs. *Syr: fl: peon:* ℥ ſs. *Tinct: Caſt:* gr. xii. Ms. Hinc in ſomnum incidit paroxyſmo inde prorſus fugato.

Die 19 licet anheloſior ordinario, tamen paroxyſmi immunis erat.

Die 20. circa horam 11, metu acceſſionis futuræ, ſignis quibuſdam ejus adventum præcedere ſolitis admonita, hauſtum prædictum ſumpſit, cujus ope mitiorem eam longe ſentiebat, nullam omnino contigiſſe credens, modo hauſtus plus virium (ut ſuis verbis utar) habuiſſet.

Die 21. tempore ſolito, at inopinato, nullo prorſus præeunte ſigno redibat acceſſio, diu atrociterque eam affligens, ita ut tardiorem jam paregorici effectum exiſtimans, ad ſanguinis miſſionem confugere coacta eſt, quæ ad ℥ iv. ſolum celebrata, immediate opem tulit; cum autem graviter impetu paroxyſmi delaſſata fuerat, profuſiſſimis ſemper eum comitantibus ſudoribus frigidis, & gravi muſculorum pectoralium dolore ob continuam vehementemque eorum, ſæviente paroxyſmo agitationem inducto,

Hauſtum

Hauſtum ſibi propinari velit, cum *Opii* gr. ii. præparatum, quo ſumpto ſtatim in ſomnum placidiſſimum delapſa eſt, de repente ſoluto paroxyſmo.

Ab hoc tempore longe melius ſe habuit ægra, fractis quaſi morbi viribus, loco paroxyſmi vehementis & diuturni invadente ſolum, licet ſolito periodorum tempore, anhelitu crebriori & aliquantulum impedito, & uti aiebat profundius, vel ex imo pectore, hoc eſt proculdubio verſus pulmonum undique extremitates, ducto.

Jam etiam quod ſedulo notari velim, urina, quæ antea per totum ægrotationis decurſum palida & tenuis erat, è nervis excuſſo morbi fomite, naturalē colorem acquiſivit.

Cæterum cum ex morbi tædio admodum imbecillis, & vel cum ejus leviſſimo inſultu conflictari minus potens facta eſſet, cum etiam in ſomnum ob ſucci nutritii inter ſudandum jacturam, & inordinatos ſpirituum animalium motus, minus proclivis eſſet, hauſtum paregoricum aucta etiam *Opii* quantitate præparatum, prout ſibi viſum fuerat, ſemel vel bis in ſeptimana ſumebat, indies robuſtior & vegetior facta; cum autem ſpatio aliquot dierum interjecto, dum ei aſſidebam, ingentem pulmonum loculis phlegmatis quantitatem hæſiſſe quoties tuſſiret, licet id rariſſime obſervaſſem, quod etiam ob ejus lentorem & viſcidita-

tem

tem rejicere non valebat, uſum ſequentium illi conſului, ℞ *Oxymel: ſimpl:* ℥ ii. ſumat cochleatim bis mane, & toties poſt meridiem, ℞ *Ol: Lini ſine igne expreſſi & per ſubſidentiam depurati* ℥ ii. ſumat c. j. ſingulis noctibus cubitum itura vel ſæpius pro re nata. Pro potu ſit *Hydromel.*

Duas hic Lectori oculis ſubjeci Aſthmatis inſtantias à ſe invicem, unico præcipue ſymptomate abludentes (*viz.*) ſputatione, quæ ob eam eſſentialiter & omnino inter ſe, vel in ſpecie diſcrepare vulgo creduntur, & nomina pariter diſſimilia ſortita ſunt.

Harum una ſicca, ſympathica, ſeu convulſiva; altera humida, idiopathica vel vere pulmonica vulgo vocari ſolet; cum revera ſi penitius eas inſpiciamus, utraſque unum & eundem eſſe affectum, quoad cauſam formalem maxima veritatis ſpecie reperiemus, (niſi ſub nomine pulmonici comprehendatur, ſi quod quoties accidat, ab extraneo vel præternaturali quovis corpore, partibus reſpirationi dicatis impacto, vel à quovis earum vitio conformationis oriatur, & proinde improprie ita, ſeu potius ſymptomaticum vocari debet) & nullam omnino hic obtinere diſtinctionem, niſi quam vel cauſæ ocaſionalis differentiæ, vel ſymptomati alicui ſupervenienti per accidens juxta ægroti temperamentum acceptam referamus.

Quoad cauſæ rationem in primo harum caſu, ſatis obvium cuivis patet, illum affectum ab inopinato terrore ſpiritus animales in motus inordinatos & convulſivos adigenti profluxiſſe, cujus ultimum tandem inſultum ſuſtinebant Pulmones; & hujus Aſthmatis ſub nomine convulſivi, vel hyſterici, vel flatulenti ubique fere inſtantiis ſcatent Authores, inde ſententiam ſuam fundantes, quod hac aſthmatis ſpecie correpti nihil omnino exſpuant, & in cadaverum ſectionibus hoc morbo defunctis ſemper inſontes reperiri ſolent Pulmones, & quod cauſa eadem aliquando affectus alios nervis proprios producit, cujus inſtantia datur inſignis in *Miſc: Cur: An:* 7. *Dec:* 2. *Obſ:* 133. ubi ſe alternis vicibus excipiebant Aſthma & Artuum convulſiones.

Horum autem ita aſſerentium obſervationes non omni ex parte ex hiſtoria medica veras & conſtantes reperiemus; Aliquando enim iis hac aſthmatis ſpecie affectis contrarium plane contigiſſe reperiemus, nimirum, ut æquè copioſe, ac in altera ſpecie humida vulgo dicta, parique etiam felici ſorte, cum inſtantaneo (*viz.*) dyſpnææ, quo ſemel ſputatio inceperit, receſſu, uti ex Obſervatione 88. *Miſc: Cur: Decur:* 3. *An:* 3. atteſtante Cl: *Sam: Anhornio* facile lectori conſtet.

Poſt

Poſt diutinas enim cujuſcunque fere generis convulſiones, nobilem quandam invaſit Aſthma adeo ſiccum ut fauces exareſcentes liquidis jugiter humectare coacta eſſet, quod tandem uberi prorumpente ſalivæ rivo ſe ſubduxit, rurſumque ex ejus receſſu recruduit, eadem ad aliquot inter diverſos eos affectus vices facta reciprocatione; Nec huic prorſus diſſimilem habemus inſtantiam in fœmina quadam aſthmate convulſivo laboranti, cujus nobis exhibuit Cl: *Floyer* deſcriptionem *in eximio tractatu ſuo de hoc morbo*, p. 27. cui aliquando adfuerit ſputatio aliquando non.

Quoad alteram, illam, æque obvium eſt à frigore ſuſcepto proveniſſe, unde ob tranſpirationem impeditam, maxima exorta eſt humorum ſeroſorum in maſſa ſanguinea redundantia, qui poſtea in partes nervoſas effuſi, ob acrimoniam ſuam ſymptomata præcurrentia in affectu iſtius hiſtoria prius recenſita peperere, tandem in paris vagi ramos qui pulmonum veſiculas aereas circumretiunt decidui, eos ſtimulis ſuis in contractiones urgentes, & proinde aeris tranſitũ in veſiculas ſatis liberũ & copioſum impedientes, acceſſionem Aſthmaticam induxere, non prius deſinentem, quam artis medicæ beneficio reſtituta eſt naturalis veſicularum expanſio & conſtrictio. Huic Aſthmati adjungit ſe ſocium ſæpenumero

tuſſis humida ante, & poſt paroxyſmum, pariter & profuſa ſputatio (aliquando autem non) unde ut ſupra annotatur, eam ſpeciem Aſthmatis nomine humidi, & pneumonici communiter inſigniverunt, ac ſi ortum ſuum duceret à ſero copioſe pulmonum veſiculas inundanti; cum nihilominus luce meridiana clarius apparet, ejuſdem fluxũ vel decuplo majoré a frigore ſuborto excitatum & in pulmones ſuffuſum, affectũ iſtum nunquam produxiſſe. Imo nihil frequentiùs occurrit in praxi quam Aſthmatis per urinæ vel alvi profluvium judicationem, & aliquando ob ſuppreſſam deorſum vacuationem, eodem fere momento, nullo prorſus quo depluant ſeroſi humores intra pectoris cavitatem conceſſo ſpatio, ſubnaſci eundem affectum; uti Obſervatione proxima conſtabit, in viro graviter hoc morbo affecto, tandem ejus violentia extincto, & poſtea diſſecto, nulla omnino tuſſi, vel materiæ cujuſvis rejectione per anacatharſin comitante, quod fieri non potuit ſi humores illi in pulmonum loculos depluendo iſtum affectum produxiſſent. Verum eſt paroxyſmorum intervallo ingentem non raro ſeroſorum humorum affluxum per glandulas maxillares & ſublinguales (ut in caſu priori ubi fœmina Aſthmate humido (ſic dicto) laborabat, annotatum eſt, accidere, partim ob

ob nimis ſanguinis relaxatam ex ſeri redundantia compaginem, & partim ob ejuſdem ſeri acrimoniam fibrillas nervoſas per ſubſtantiam glandularum diſſeminatas invadentes, & eas in contractiones ſtimulantem, unde ſanguis in ſuo per vaſa reductoria circuitu magnopere impeditus, majorem longe per eorum vaſa excretoria ſolito copiam ſeroſitatum ſub tenui ſaliva forma profundere aptus natus eſt. Talem ſanguinis conſtitutionem ſalinam claris ſatis indiciis, in caſu iſto propoſito, Pulmones, mediantibus ſolum nervis afficere videmus, exuberantia ejus alibi, è glandulis (*viz.*) oris, ſaltem maxima ex parte, non iis pulmonum ſeu tracheæ prodeunte: Porro etiam, hic annotare liceat ſimilem nonnunquam ſanguinis ſtatum à ſpirituum animalium craſi fracta produci, & quamdiu exitui ſeroſitatum per alia corporis emunctoria tranſitus, (*viz.*) per glandulas cutaneas, & renales concedatur nullo modo nervos affici, vel pulmones: hujus aſſertionis inſtantiam ſatis inſignem in Obſervatione præcedanea habemus (*viz.*) 26a. dum enim laborabat ægra diabete, vel ſudoribus nocturnis, immunis prorſus erat Aſthmatis, poſtea autem cum non diutius per glandulas ſecretionibus prædictis dicatas tranſitum invenerunt ſeroſitates, nervos pulmonum ſubintrantes

aſthmaticam omni abſque tuſſi, vel etiam ſputatione affectionem producebant.

Clarius adhuc hujus aſſertionis eluceſcentem videbimus veritatem in caſu proxime enarrando, ubi (*viz.*) à craſi ſanguinis degeneri, quaſi cauſa remota, poſtea ab humoribus occaſionaliter in orgaſmum excitatis, & tandem ab una parte ad aliam tranſlatis, originem ſuam Aſthma ducebat, nulla tamen omnino, ut ſupra innui vel tuſſi, vel ſputo apparente.

Id quod hactenus pluribus impoſuiſſe & falſum pro vero obtruſiſſe probabilius mihi videtur, eſt, quod cum poſt mortem Aſthmaticorum, eorum cadaveribus frequenter magnam aquarum molem in pectore reperiſſent, ſtatim ſimilis aquæ portionem aliquam pulmones inundantem, & earum veſiculos adimplentem pro cauſa proxima aſthmatis ſtatuerunt; cum tamen illam frequenter nullum omnino cum pulmonibus commercium habuiſſe (*i.e.*) primario ſeu in primo ſuo ortu, & proinde ex illa non prius affectos fuiſſe pulmones liquido ſatis conſtet, quam in molem adeo immenſam accreverat, ut præ iſtius copia jam cauſæ fixæ & ſolitariæ rationem habenti ſpatium ſatis expanſioni liberum non obtinuerunt. Hinc cauſa vera petenda eſt, proculdubio quod pectoris hydropem in fœminæ cujuſdam corpore quod diſſecui nul-

lo,

lo, dum in vivis, aſthmate affectæ reperiſſem, cujus caſus inter ſequentes aliquot alios recenſebitur, & cui ſimilem videre eſt in *Bonet: Sepulch:* p. 420. *& Eph: Germ: An:* 3. *Dec:* 3. p. 248.

Sunt qui Aſthmatis cauſam antecedentem in cacochymia ſanguinis ſeroſa febri Ephemeræ aſſociata, & in fibrarum nervearum per membranos pulmonum externas & internas diſtributarum inflatione, cauſam formalem ponunt, in quotum numero habemus egregium virum D: D: *Floyer* in libro ſupra notato de Aſthmate.

Quoad primam hujus hypotheſeos partem, cum febrem eam (licet aliquando revera adeſſe poteſt) non raro à motu ſpirituum animalium inordinato contigiſſe, & aliquando omnino abfuiſſe viderim, haud eam cum Cl: illo Viro ſemper, & neceſſario requiri, ad iſtum affectum producendum exiſtimo; Satis mihi videtur, ſi ob aliquam ſanguinis, vel humorum dyſcraſiam, labes aliqua particularis, vel per nervos reſpirationis organis inſervientes prius forſan debiles & ad eam recipiendam prædiſpoſitos irruens, intra cerebrum ſpiritubus animalibus ſe immiſcendo, eos in motus irregulares convulſiones producentes adigat; vel primo ſuo appulſu, quamprimum è ſanguine per glandularum ductus ubique per bronchia pulmonum diſſeminatas ſecer-

ni contingat, teneras ſenſileſque membranarum pulmonalium fibrillas adoriendo, eas non pungendo, vellicando, vel quovis modo quoad qualitates ſenſibiles irritando (nam ita exoriretur tuſſis quæ ſemper fere abeſt) quin potius inſtar fumi ſeu halitus viroſi è cryptis ſubterraneis erumpentis intra pulmones admiſſa, fibras eorum in ſtatu conſtrictionis urgeat, detineatque, uſque dum ex aeris attritu, vel caloris interni beneficio difflata, liberæ aeris reciprocationi intra loculos pulmonum denuo locus ſatis amplus concedatur. Semel enim, animum meum ſubit, juvenem quendam, qui dum cellarium ubi cerviſiæ novellæ quantitas in ſtatu fermentationis inibi reponeretur, & vaſibus amplis apertis adhuc deſpumationi relinqueretur, ingrederetur, ſub primo fere ejus introitu adeo ſuffocationi proximum fuiſſe, ut non abſque aliorum ope ex eo emigrare valeret, & poſtquam in aerem apricum ereptus prodiret, diu tuſſis omnis expers, ac ſi omnia (uti aiebat) intra pectus coarctarentur, manſit anheloſus.

Quantum ad fibrarum diſtentionem, ad mentem præfati Clariſſ: Viri. Si ita res in hoc affectu ſe haberet, neceſſario ſequeretur (ita enim evenire, ſi cauſę iſtius modus agendi juxta liges mechanicæ perpendatur haud obſcure patet,) difficilior longe expiratio, quam

quam inſpiratio, cui tamen plane contrarium contingere in paroxyſmis Aſthmaticis cernimus. Non quod impoſſibile, ſit talem difficilis reſpirationis cauſam, licet ab illa à Cl: Viro aſſignata longe diverſam, contingere, cum ſcilicet vel flatus craſſiores veſiculas pulmonum ultra vim ſuam reſtitutivam diſtendant, vel muſculi pectoris dilatationi miniſtrantes in ſuis contractionibus convulſivis ſupra modum detineantur; cum autem raro vel nunquam ita accidiſſe, vel vidimus, vel legimus, nullo prorſus jure illam pro cauſa in hoc affectu ordinario admittere tenemur.

Porro ignoſcat mihi Doctiſſ: præfatus Vir, ſi conceptus ſuos de reſpirationis effectu, & uſu, in Præfatione ad librum ſupra memoratum expreſſos,(ubi ſanguinis propter cauſas ibi aſſignatas, per integrum inſpirationis unius ſpatium per pulmones circulationem, intermitti aſſerat) hoc ſolum nomine minus liberè amplexus fuerim, quod eos experientiæ reſpondentes non invenerim. Diu enim eſt, ex quo primum Cl: D: D: *Hook*, orta inter doctos controverſia, num motus præcipuè pulmonum, vel ſimplex aeris recentis ingreſſus magis ad vitam & ſanguinis circulationem per pulmones conduceret, experimentum ſatis efficax & idoneum ad litem illam dirimendam excogitavit, quod videre eſt *Philoſoph: Tranſ:* An: 1665.

1665. p. 539. Idem, cum circa viviſectiones ad quorundam aliorum φαινομένων explicationem inſtitutas verſarer, (alio licet & aliquantulum diverſo machinarum apparatu,) loco (*viz.*) follium primi, veſica bubula admodum ampla, & capaci tubulo inſtructa; & ad Trachæam adaptata uſus ſum, quam, per agitationẽ ſeu exſufflationem ſecundi, aere diſtentam, quamdiu voluerim, conſervavi, ter vel quater pari utique eventu expertus ſum. Quamdiu enim veſica aeris plena perſtitit, & conſequenter pulmones eo etiam replerentur, quanquam prorſus immotos libere ſatis eos pertranſivit ſanguis, neutiquam deficiente canis vigore, qui ſtatim, quamprimum (*viz.*) detumuerit veſica, quaſi exanimis jacuit, negata aeris recentis intromiſſione; imo etiamſi tunc temporis, ſubſidentibus prorſus pulmonibus, aperta prope ad ventriculum ſiniſtrum arteria magna, ex ea vel pleno rivo effluxerit ſanguis per aliquod temporis ſpatium more ſalienti, poſtea autem langueſcente cordis pulſu, æquali prorſus tenore.

Pro hoc motu pulmonum, utpote ad ſanguinis per eos circulationem abſolvendam quodammodo neceſſario, aliquantulum facere ridetur experimentum à Cl: Viro D: D: *Muſgrave*, in cane peractum *Philoſ: Tranſ:* n:240. p:178. de cujus veritate uti Doctiſſ: iſtius Viri neutiquam dubitare me patitur integritas

tegritas, ita etiam alicui aliæ præter pulmonum reciprocationum defectum aſcribi debere, me credere coget ejuſdem experimenti à me non ſemel coram quibuſdam, iiſque harum rerum haud imperitis, cum omni fideliter exhibita circumſpectione repetiti contrarius prorſus eventus.

Ne autem, (ut ad ea quæ affectum ipſum proprius tangunt, regrediar,) credat quiſpiam, me nullam omnino in hoc morbo ſeri in pulmonem exſudationem fieri exiſtimare, cum plane conſtet, ægrotos poſt excuſſum paroxyſmum, portionem ejus non exiguam rejicere, idque cum beneficio; hoc ſolum contendo, id quod rejici videmus non ſemper prius extitiſſe, verum ob ſanguinis circuitum impeditum ibi deponi, pro maxima ſaltem parte, & eo nomine paroxyſmum infeſtiorem longe reddere, & ab ejus rejectione poſtea longe faciliorem evadere reſpirationem; cujus ulteriori confirmationi quam maxime facit, *Obſ: Carol: Rayger: Miſc: Cur: An:* 3. *Decur:* 3. *Obſ:* 137. licet Cl: Vir cauſam pro effectu habens, id non animadvertiſſe per incuriam videatur. Ibi juxta humoris peccantis metaſtaſin, nunc urgebat Aſthma, nunc Epilepſia: in corpore poſt mortem diſſecto repertæ ſunt in pectoris uno latere Aq: ℔ v. quam Cl: Vir utriuſque affectionis cauſam exiſtimat, quæ

ſi

ſi revera ita eſſet, vel continua perſtitiſſet Aſthma, vel aqua de uno loco in alium per vices tranſmigraſſet; primum contra experientiam eſt, alterum impoſſibile.

Unicum tandem ſubmonebo pro ſententiæ veritate ſtabilienda, quam nullis aliis argumentis niſi quæ ab experientia ducuntur, vel amplexus ſum, vel fovi, nullis ſcilicet aliis remediis tam facile cedere hujus affectus paroxyſmum, quam vel opio, vel phlebotomiæ; primo, quod ſpirituum excurſiones veſicularum pulmonalium contractiones cauſantes inhibeat; altero, quod pari ratione huic, ac aliis affectibus generi nervoſo inſidentibus proſit, vaſa (*viz.*) in hoc caſu ſanguinea ob circulationem à contractione veſicularum impeditam, & ob ſolitam pulmonum refrigerationem à parciori & difficiliori aeris ingreſſu inhibitam, tunc temporis ſanguine æſtuanti nimis turgida deplendo.

OBSERVATIO XXVIII.

De Aſthmate, & eo extincti Diſſectione.

VIR quidam robuſtus, & ſubpinguis, annos ſexaginta plus minus natus, at per viginti retro annos tumore pedum edematoſo, licet abſque ullo ſalutis ſuæ diſpendio affectus, ex hauſtu à partibus æqualibus cerviſiæ novellæ, adhuc ſpumantis, & cerviſiæ diu in dolio ſenectute confectæ vulgo *Stale Beer* dictæ, compoſito, mane ad ſitim reſtinguendam præfervida anni tempeſtate èpoto, in alvi fluorem moleſtum, ad ſeptimanam unam protractum incidit. Hujus coercendi gratia, ſingulis auroris hauſtu liquoris cujuſdã vulgo *Punch*, dicti, cum ſubdupla q. ſucci Limonum, quo magis palato arrideret, admiſta, proprio conſilio ventriculum proluebat. Cum autem minus hanc methodum votis reſpondere comperiſſet, vini vulgo *Clareti* dicti prius ſuper ignem calefacti, ℔ i. integram exhauſit, qua ſtatim exhauſta, brevi reſtringuebatur Diarrhæa, eventu autem prorſus infelici; hinc enim difficili reſpiratione propediem corripiebatur, quæ ſingulis noctibus circa h. ſecundam exacerbata, eum per tres vel quatuor horas miſere excruciabat.

cruciabat. Paucula rure ubi habitabat ſumſit medicamenta, ex quorum uſu vix ullum levamen percepit niſi ex ſolutione *Gum Ammoniaci* in *Oxymelle* ſimplici facta, unde promptius aliquantulum phlegma dum tuſſiebat rejecit. Parum autem urgebat tuſſis, idque uti retulit ille, non ex aliqua in ejus acceſſione morbi provocatione, quin potius propria voluntate, quo ſpiritum liberius duceret, excuſſa uti ſperebat, aliqua humorum portione quos pulmones tunc temporis opprimere crediđiſſet.

Tandem *Londinum* veniens, opem meam petit, *July* 26. Pulſu explorato, eum nullo obſervato ordine intermittentem reperi. V. S. igitur quantocius hora una ante ingreſſum ejus in lectum, hac veſpera qua ad me venit, & (cum habitus erat Athletici) ad ℥ xiv. conſulebam, & ad aliquot plures ni obſtetiſſet hydropis metus, conſuluiſſem; noctem ſequentem habuit abſque ulla dyſpnææ imminutione, quod mirabar. Die autem ſequenti longe melius ſe habuit, minori longe inter ambulandum anhelitus difficultate urgente. Hoc veſperi *July* 27. potionem Emeticam ſequentem propinavi.

℞ *Aq: Card:* ℥ iii. *Oxym: Scillit:* ℥ i *Tart: Emet:* gr. iii. Ms. f. Potio. Sumat quamprimum, & ſi nulla vel parca nimis vomitio inſequatur, in ſuppetias veniat *Salis Vitri-*

oli

oli ʒ ß. bis vel ter diſtinctis vicibus ex hauſtu liquoris Poſſetici repetenda.

Hiſce non obſtantibus immotus perſtitit, & loco vomitionis tota medicamenti vis deorſum ferebatur, inſequentibus 5 vel 6 alvi dejectionibus. Noctem ſequentem, obrepente ſomno, quietè tranſivit paroxyſmi expers, & mane vegetior factus, è cubile exiens, res ſuas uti ſolebat hilariter expedivit.

Uſum *Gas Sulph:* conſului ad ſanguinis curſum aliquatenus ſufflaminandum, quo minus in paroxyſmo vaſa pulmonalia diſtenderet, cujus cochleare unum in hauſtu aq: f. cum pane toſto præparatæ, mane, & 5. p. quotidie ſumpſit.

29. Omnia fauſtò procedebant reſpiratione longè liberaliori facta.

Jam autem cum nihil ægri rebus utilius eſſe duxi, quam ſi ventriculum, & infimi ventris viſcera (præcipuè cum appetitum proſtratum animadvertiſſem) exhibitione emetici ab humoribus ibi impactis liberare molirer, idque magis cum eadem opera humorum ſeroſorum è toto corpore expurgatio commode procurari poſſe videretur, omni mora ſepoſita ſequens exhibitum eſt, ℞ *Aq: Card: Ben:* ℥ ii. *Tart: Emet:* gr. v. *Oxymel: Scillit:* ʒ vi. Ms. Vomitio copioſa inſequuta eſt, cujus etiam promovendæ gratia, hauſtus aliquot

Tinct:

Tinct: Carduatæ injunxi diſtinctis & debitis vicibus exhauriendos.

Poſt vomitionem optime dormivit, & die ſequenti (*viz.*) 30, ambulationes per plateas etiam per arva voluptatis gratia abſque ulla notabili pectoris conſtrictione ſuſtinuit.

31. Hoc die, de novo, pectoris anguſtiam percipere incepit. Pulſus celer nimis & exiguus erat, aliquantulum etiam intermittens uti alias conſueverat. Nullus autem omnino calor, quin potius frigiditas ad tactum ſentiebatur.

Hac nocte Bolum & Pil: ſequentia præſcripſi, ℞ *Calomel* gr. xxiii. *Conſt: Anth:* ℈i. *Syr: Viol:* q. ſ. Ms. f. Bolus hac nocte h. ſomni ſumendus, cum hauſtu ex aq: Lact: al: & Syr: Viol: compoſito.

℞ *Pil: Coch: Min:* ℈i. *Reſ: Jal:* ℈ ß. *Ol: Majoran:* gr. ii. Ms. f. Pil. v. mane ſequenti ſumendæ cum regimine. Hodie (*i. e. Sept.* 1.) ſepties dejecit copioſe.

Noctem tranſivit inſomnem ob anhelitus difficultatem.

2do. Reſpiratio difficilior quam pridie erat.

Hac nocte dedi Hauſtum ſeq: ℞ *Aq: Lact:* ℥iii. *Diacod:* ℥i. Ms. Nihil omnino dormire potuit, ſomnolentia ſolum, cum plurimis inſomniis gravatus.

Reſpi-

Reſpiratio autem liberior ſolito erat uti etiam die ſequenti.

4°. Hoc mane, aucta dyſpnea, proprio V. S. celebratur conſilio, ad 3 ſolum vel 4 uncias, unde aliqualem virium debilitatem percepit, reſpirationem autem longe liberiorem.

5°. E frigore ſuſcepto plurimum ingraveſcebat anhelitus difficultas, ſuppreſſa etiam expectoratione quæ alibi, etiamſi non multum rejecit, facilior eſſe conſueverat.

6°. Hodie conſului uſum Decoct: Pectoralis & *Ol: Lini* alternatim, aliquoties ſumenda, quorum uſu liberius ad biduum procedebat anacatharſis.

8°. Hac nocte injecto prius clyſtere ſacharato ſumpſit Hauſtum ſeq: ℞ *Aq: Lact: Al:* ℥ iii. *Diacod:* ʒ vi. *Laud: liq:* gr. xii. Ms. f. Hauſtus h. ſomni ſumendus.

Sumpto hoc Hauſtu ſtatim obrepit ſomnus, & licet aliquoties inſomniis variis intervenientibus abrumperetur, tamen per totam fere noctem ad horam ſeptimam matutinam excurrit, cum magna ſpiritum refectione, & quod notari debet, (cum hactenus impune nunquam id præſtitiſſet) nulla prorſus accidente reſpirationis impedimento, quoties à ſomno excitatus ſe in alterum latus reclinare conaretur.

9°. Hodie uſum *Decoct: Amari* S. S. mane

ne, & h. 5. p. quotidie ſumendum præſcripſi, unde bene ſe habuit, & hac nocte dormivit 4 vel 5 horas continuas.

10°. Optime ſe habuit, appetitu aliquantulum reſtaurato. Greſſum autem nondum abſque aucta & frequentiori anhelitu ſuſtinere potuit.

Hac nocte nihil omnino dormivit, & levi quovis in lecto motu, difficultate ut olim anhelitus tentabatur.

11°. Hodie ſub veſperam injiciebatur enema, & nocte ſequenti aliquantulum melius dormivit.

12°. Appetitus rediit, at difficulter adhuc, inter ambulandum præcipuè, reſpirabat.

13°. Hoc die cibos ſolito magis appetivit; adhuc autem manſit dyſpnea, quoties ambularet.

Indies ex uſu Decocti Amari augebatur appetitus, cum virium refectione. Dieta ex ovis ſorbilibus, carnibus pullorum, juſculis hordaceis, & ſimilibus coctioni facile cedentibus, & ſanguinem minus accendentibus erat inſtituta. Pro potu erat Aqua, cum pane toſtò præparata, & vino optimo Gallico rubro colorata.

Supervacanea, ſi non nocua mihi videbatur medicamentorũ in corpore ſenili & debili multorum accumulatio, præcipuè cum morbi cauſam prorſus inexpugnabilem (quantum conjectura aſſequi potuerim) judicarem.

rem. Ita ut tutius illi fore ducerem, ſi in diæta ſolum ex eſculentis & potulentis iis quæ illi maxime arriderent, modo innoxia eſſe experiretur, per dies aliquot inſiſteret. Mecum conſenſit ægra, intermiſſo omnium medicamentorum uſu præter *Decoctum Amarum*, bis in die, ad duas ſeptimans.

Appetitus per totum hoc ſpatium ſatis viguit, exiguo interea expletus. Cæterum indies inſtabat dyſpnæa, noctu quotidie exacerbata, ita ut ægrè admodum ſomnum capeſſeret, licet tuſſis omnino expers.

27°. Die hujus menſis 27 iterum me accerſivit, jam enim dyſpnææ acceſſionibus frequentioribus & brevioribus, utpote duobus vix momentis durantibus tentari incepit interdiu noctuque infeſtantibus, præ quarum tyrannide non niſi erecto ſitu illi reſpirare licuit.

Jam etiam augebatur unius pedis tumor, ita ut rigidiores iſtius tendines inter eundum ſenſit.

28°. Ad hoc uſque tempus indies pejus ſe habuit, anhelitu crebriori reddito, ita ut vix ſe in ſedili movere poſſit, quin ſuffocationis periculum ſubiret.

Aliquando tenuè & ſpumoſum, ſed raro & non niſi magno conatu cum vomitionis nixu conjuncto ſputum hactenus rejicere ſolebat,

quod jam maxime glutinoſum & craſſum factum eſt.

Nihil omnino huic affectui contulit aliquoties *Sper: Cet:* juxta *Celeber: Timæi* præſcriptum, ne quidem in expectoratione facilitanda, aliquoties in calidæ cerviſiæ hauſtu exhibitum. Cum autem adeo craſſum & viſcidum in pulmonibus hæſiſſe phlegma obſervaſſem, uſum *Oxymel: ſimpl:* aliquando per ſe, aliquando cum *Gum: Ammon: in Acet: ſolut: commiſti* haud infructuosè ſuaſi.

Utcunque autem hiſce in expectoratione promovenda profecerimus, ad uſum denuo opiatorum præ ſævitia paroxyſmorum confugere coacti ſumus, & proinde ſequentia præſcripta ſunt.

℞ *Aq: Lact: Alex: Cinam: h: an.* ℥ i. *Oxymel: ſimpl:* ℥ ß. *Opii colati* gr. i. Ms. f. Hauſtus h. 5. p. ſumendus, & 9. repetendus. Hiſce ſumptis magnopere in ſomnum proclivis evaſit, cujus tamen beneficium denegabat illi importuna nimis & frequens ſpirationis difficultas, vicies unius horæ ſpatio intercurrens, quarum intervallis inſtar ſanorum, dum ſcilicet immotus reſtabat, leni, & æquali tenore ſpiritum ſuum ducebat.

Tandem autem vi medicamenti cedere coactus in ſomnum per horas duas, idque bis

bis vel ter diſtinctis vicibus protractum lapſus eſt, quo ſpatio tamen uti mihi adſtantes narrabant, non omnino dyſpnææ per acceſſiones quaſdam, licet minori longe gradu immunis fuit.

30. Hac nocte, omiſſo paregorico inſomnis prorſus ob pectoris anguſtiam ſolito more eum crebro infeſtantem jacuit, eluceſcente autem die, pulvinaribus apte capitis reclinationi, vel inclinationi prout magis ſibi expedire videretur, accommodatis, ſedens in cubili erecto collo ſomnum ſuaviter per horam unam & alteram capeſſebat. Hinc mire refectus liberalius reſpirabat, & ex uſu *Oxymel:* cum *Gum Amm:* commiſt:(unde aliquid ſemper levamen ſenſit,) facilius glutinoſi phlegmatis aliquantulum rejiciebat.

Biduo vix elapſo, tibiæ utriuſquæ intumeſcentia magnam in molem augebatur, quam longe expeditior ſequebatur reſpiratio, ita ut cubitum in lecto, cum aliquali ſaltem ſpiritus tolerantia per totam noctem ſuſtineret.

Tibiis totis Empl: *Diaſap:* applicandum conſului, unde faciliorem earum extenſionem obtinebat.

Clyſterem Terebinthinatum injici curavi, qui ter vel quater operebatur. Diætam, qualem ſibi maxime in votis eſſet, ob faſtidium ciborum quo jam premebatur, permiſi.

Urina rubra & pauca per totum morbi ſtadium hactenus permanſit.

Oct. 4. Per has quatuor vel quinque dies ab omni medicamentorum genere abſtinuit, pro cibo, illum qui ſibi maxime jucundus videretur, eligens, & pro maxima parte Lac cum triplici Aquæ coctum ad medias, quod, utcunque ſuaderet contrarium frigidæ ejus conſtitutionis ratio, quotidiano ſibi uſu utiliſſimum alimenti genus eſſe, tum quoad nutritionem, tum pulmonum intemperiem didicit. Frequenter etiam jam id quod per anacatharſin rejecit ſanguine permixtum erat, & nonnunquam ſanguis ſincerus licet in exigua quantitate.

Hinc indies ingraveſcente morbo, & fatiſcentibus viribus ſe prorſus paregoricorum uſui, abſque quorum ope vel ſingulis momentis inſtabat ſtrangulationis metus, addicebat, unde ſemper remedium præſentaneum ſenſit, adeo libere reſpirando, ac quiſquam alius, uſque dum eorum vis penitus expiraſſet.

Jam autem ſanguinem ipſum pro maxima parte, non autem ſpumoſum, ut è pulmonibus ſolet, rejecit; De dolore ulceroſo circa pectus querebatur, & ab aliquot diebus per vices delirus, die menſis 13 ad plures commigravit.

Corticis

Corticis Peruviani uſum in Aſthmate cujuſvis ſpeciei periculoſum reperi, poſtquam inveteraſcente morbo, pulmonum textura fibroſa glanduloſaque adeo debilitata fuerit, ut humoribus lenteſcentibus recipiendis retinendiſq; apta evaſit; tunc enim morbi primarii effectus, ſeu productum, pro morbo novo, cui alia plane methodus per aliquod ſaltem tempus adaptari debet, habendum eſt.

Vomitoria è mitiorum claſſe admodum proficua per experientiā eſſe didici, celebrata prius V.S, præcipuè in principio, & inſtante plethora, modo diu ſatis, debitis pro ratione virium conceſſis intervallis, in eorum uſu perſiſtat æger, aſſociato etiam iis medicamentorum uſu quæ ſanguinem corroborent, humorumque vinculum conſervando, quo minus inidoneum inſalubreque ſpiritibus animalibus ſubminiſtretur pabulum, impediunt.

Caute adhibeantur chalybeata, eaque maxime diluta, præcipue in temperamentis calidis.

Thermarum *Bathon:* potum in conſtitutionibus humidis & phlegmaticis admodum utilem fuiſſe novi, prius evacuatis per medicamenta lenitiva ſæpius repetita humoribus viſciditate & acrimonia præcantibus, quæ primis diebus ab aquarum uſu fermenteſcere apti nati ſunt.

Ad coercendam ſaltem ſeu mitigandam morbi hujus ſævitiam acida cujuſvis generis, utpote etiam ſalia eſſentialia, ſeu neutra, cum guttis quibuſdam ſp: acidorum commiſta, magnopere inſerviunt, uti ſunt *Gaſ: Sulph: Sp: Vitr: Nitri, Suc: Limon: Aurant:* &c. *Sal Prunel: fl: Sal Arm: Nitrum purum, Sal Arm: ipſum* &c. in quantum ſanguini, qui tempore paroxyſmi vaſa inflare aptus natus eſt, frenum injiciunt, & quaſi in minus volumen conſtringunt; & ob eandem etiam forſan rationem præ cæteris, diætam è lacte vel lacticiniis in paroxyſmis protrahendis, & diminuendis, modo ſedulo adhibeatur cura ne alvus nimis tarda ſit in fecibus egerendis, hic, præſertim in macilentis convenire obſervavi.

Errhinorum egregie utilem nuper in viro diu atrociterque morbo hoc vexato uſum reperi, cum jam adeo rari miteſque eorum beneficio ejuſdem inſultus facti ſunt, ut ſeipſum quaſi à manubus tyranni vindicatum inde exiſtimet. Hic autem notandum eſt, illum pulverem, in hoc caſu ſibi familiarem, à *Tabacco* ſolum primum cocta & poſtea ſiccata præparatum, è pyxidula artificioſe huic uſui adaptata tanta vi innares ſuos admitti, ut per earum ſummitates uſque ad fauces pertingendo, non ſolum membranam pituitariam ubique partes iſta oblinentem à muco ſuo, qui mora

len-

lenteſcens, in indolem pravam corruptamque, & ſanguini præterlabenti infeſtam degeneraſſet, frequenter & copioſè ſcreando liberet; quin una etiam eademque opera, eam eorundem humorum recentium è ſanguine jugiter ſubminiſtratorum receptioni habilem reddendo, illorum uſitatum in partes reſpirationi quovis modo inſervientes, num ſcilicet per glandulas cerebri, vel pulmonum, ingreſſum præcaveat.

Quoad cauſam hujus affectus eſſentialem, vix eſt ut iſtius ablationem ſperamus, priuſquam, felici quodam auſpicio, alicui innoteſcat medicamentum aliquod, morbos alios ejuſdem genii vel indolis, ubi ſcilicet τὸ θεῖον *Hippocratis* arti medicæ potiſſimum adverſetur, perdomare valens; uti ſunt Caducus, Apoplexia convulſiones, *&c.* cum non immerito hunc ex eorum claſſe, conjectura haud inani, primum *Cl: Helmontius* eſſe ſuſpicatus eſt.

Corpus defuncti die mortem ſequenti mane aperui, cujus viſcera adhuc calorem aliqualem retinebant, & in eo quæ mihi obſervatu præcipuè digna occurrere, calamo fideliter exaravi; ea potiſſime ratione ad id agendum ductus, quod nihil æque nobis in cauſis morborum rimandis facem accendere, & conſequenter nos in eorum curatione feliciter exequenda inſtruere rectius exiſtimem.

Diſ-

Diſſectio Prima. Oct. 14. 1701.

Obſervata in corpore Aſthmatici die mortem ſequenti diſſecto.

Pylorus admodum craſſus erat & ſchirroſus, uti etiam duodenum, uſque ad locum ubi ei adnaſcatur Pancreas.

Pancreas etiam admodum durum & ſchirroſum erat, propter cujus duritiem glomeres ejus inſtar viperarum renum oculis ſe ſiſtebant inſpiciendos.

Glandulæ Meſenterii eodem modo etiam afficiebantur.

Hepar per totum ejus ſuperficiem colore flavo, & ſubviridi, ob ductuum biliferorum obſtructiones variegabatur.

Veſicula fellis bile ſubnigri coloris, & conſiſtentiæ tenacis erat plena, adeo ut difficulter ullam ejus portionem per ductum ejus bilarium, digitis eam fortiter comprimendo exprimere potui; forſan etiam huic difficultati contribuere potuiſſet inteſtini eo loci ſchirrhoſi durities, ut ſupra notatum eſt.

Renes & cætera ſani.

In medio ventriculo.

Pulmones in dextro latere Diaphragmati adnaſcebantur, & iſtius lateris cavitas aqua

ſalſi

ſalſi ſaporis replebatur. Hinc difficilis in iſtud latus decumberet.

Pulmonum iſtius lateris lobi diſſecti ſanguine penitus oppleti erant.

Lobus iſtius lateris ſuperior, parte ejus ſuperiori durior erat, & cultro diviſus inſtar carnis ſanguinolentæ apparebat.

Lobi Pulmonum ſiniſtri pleuræ undique adhærebant, nec cultro ab ea commode ſeparari potuerunt; dum autem eos digitis à pleura avellere conarer, poſt factam levem cultri acie eorũ ſeperationem, externam unà pleuræ laminam fortè detrahebam, in cujus ſuperficie interna plurimas diſſeminatas reperi *glandulas*, & unam præ cæteris magnopere tumefactam, quarum obſtructione non raro contingere pleuritidem vix licet dubitare.

Ex hujus lateris lobis profunde cultro vulneratis effundebatur præter exiguam ſanguinis portionem, *aqua* tenuis & ob ſummam ejus *ſpumoſitatem* ſubalba, quam quoties digitis veſiculas pulmonum comprimendo urgerem, in magna copia exudantem reperi, & poſt *bronchiorum* apertionem copioſè illuc irruentem.

Primo hujus aſpectu, eam pro cauſa morbi primaria ſuſpicabar, & aliquandiu ita ſuſpicari perſtiti, donec ex aliorum corporum cachecticorum ſectione, ubi idem vidiſſem, commonefactus, ſuſpicionem falſo

uti

uti poſtea patebit, fundatam animadvertiſſem.

Polypus exiguus in *arteriæ coronariæ* oſtium per aliquod ſpatium ſe protrudebat.

Foramen Ovale occluſum omnimode erat, ob tenuitatem autem valvulæ ejus, (ex cujus inferiori parte ſurſum verſa, & internodio *Loweri* (quod hic ſatis conſpicuum erat,) accreta, ejus revera, ut infra fuſius explicabitur, occluſio fit,) ſatis, ſi illud oculos inter & lucem objicias, conſpicuum.

Tubulus arterioſus brevior, & craſſior ordinario.

Duæ *coſtarum* ex una latere, & tres in altero *cartilagines* in oſſeam plane ſubſtantiam (unde haud parum reſpirationem impeditam fuiſſe credo) degeneraſſent.

In tertio Ventriculo.

Semotis membranis cerebri exterioribus, in dextra corticis ejus parte apparebat *Hydatis*, nucis moſchatæ magnitudinē æquans, ſeri pellucidi plena, adeo profunde inibi ſedens, ut ad fundum ejus facile conſpiceretur corpus calloſum ſumme albicans, ad latera ejus undiquaque apparentibus *corticis cerebri glandulis* cineritii coloris, & magnitudinis præternaturalis, aliter enim vix oculis nudis detegendas ſeſe præbuiſſent.

Ventriculi omnes ſero parum flaveſcenti replebantur.

Plexus

Plexus choroeidis utriuſque glandulæ admodum tumeſcebant ſero plenæ, & *Lymphæductus* ſiniſtro præſertim latere ob eorum diſtentionem ampli, cum valvulis pulchrè oculum oblectantibus ſeſe viſui obtulere.

Protuberantia annularis horizontaliter diſſecta, *Strias* quas primum mihi obſervaſſe contigit, more in *Anatomia* mea de *Cerebro* deſcripto & delineato, planè exhibebat; ne autem irrito unquam opere cultro eas exigerent, adſtantibus, admonui quod prima, & ſecunda ſectione laminatim facta, *fibræ* alterius prorſus ordinis conſpiciuntur, (*viz.*) longitudinaliter decurrentes, profundioribus autem eodem modo factis ſectionibus, *fibræ*, de quibus ſermo eſt, in conſpectum veniunt, ſuper *protuberantiam* tranſverſim incedentes.

Teſtes natibus, contra quam ordinario fit, erant majores.

Glandula Pinealis calculis pluribus albis & aſperis erat plena.

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.

De Convulſionibus in Infante, cum illius poſtea Diſſectione.

PArvula annum ætatis unum agens, in graviſſimas convulſiones circa faciem præcipuè incidit, quas ſemper præcedebat ejus livor inſignis ad nigredinem vergens, totius corporis inhorreſcentia & frigus ubique perceptibile. Venæ ſectionem, in paroxyſmo vocatus, celebrari præcepi, unde propediem remiſere convulſiones, priſtino corporis calore, cum vivido vultus colore redeunte. Clyſterem ſequentem, loco purgationum ob teneram ætatem, & ad qualemcunque in ſanguinea maſſa commotionem evitandam, quæ ſæpiſſime de novo morbi fomitem ſuſcitare ſolet, ad humores acres ſeu viſcidos ullibi imprimis viis ſtabilientes eliminandos, quamprimum injici curavi. ℞ *Decoct: com: cum Colocynthid: integr:* p. i. præp. ℥iv. *Sachar: rub:* ℥i. Ms. Inde ter copioſè dejecit, nullo omnino morbi inſequente inſultu, ad quem in futurum præcavendum Antiſpaſmodica ſequentia præſcripſi. Capiti raſo applicetur *Emplaſtr: Ceph:* juxta Pharmacopæam *Bateanam* præparat:; f. fontinellæ in utroque brachio;

chio; applicetur *Empl: Epiſpaſticum* inter ſcapulas latiſſimum quamprimum. ℞ *Pul: de Gutteta* ℈ i. *Sal: Volat: c: c: rectiff:* gr. v. *Fol: Auri* n. ii. *Ol: Cinam: Chym:* gr. i. Ms. f. pul: diſtinctis chartulis 5 reponendus, ſumat unam in cochl: una ſeq: Cord: quarta quaque hora ſuperbibendo c. unum, ℞ *Aq: Puleg:* ℥ i ſs. *Peon: c:* ʒ ii. *Tinct: Caſt:* gr. xii. *Syr: infuſ: Flor: Peon:* ʒ iii. Ms. Per triduum ab omnibus convulſionimmunis perſtitit, quo ſpatio peracto recidivam patiebatur, & cum jam admodum debilitatum animadvertiſſem, ab omni evacuatione abſtinendo in ſpiritubus demulcendis totus conquievi. ℞ *Aq: Rutæ* ℥ i ſs. *Peon: c:* ʒ ii. *Laud: liq:* gr. xii. *Sach: alb:* q. ſ. Ms. f. Cordiale, de quo ſumat c. unum tertia quaque hora; hinc fugatus denuo fuit morbus; & eadem methodo ad diem unum & alium obſervata admodum bene ſe habuit æger, & ita ſe habere ad integram ſeptimanam perſtitit. Tandem, denuo invadente morbo, V. ſectionem ſuaſi; prius autem quam chirurgus venam pertudiſſet exiit è vivis ægrotus.

Diſſectio Secunda. Maij 27. 1700.

V*Eſicula fellis* admodum apparebat ampla, uſque ad ſummam rigiditatem diſtenta, qua non obſtante facile erat bilem intus

intus contentam leviter comprimendo per veſicæ collum protrudere; unde conjectura ſubiit, convulſionibus forſan obnoxiam adeo, dum æger eſſet in vivis fuiſſe cervicem veſiculæ, ut bilis vix exitus pateret.

Pancreas tumidum & aliquantulum inflatum videbatur, exiguis per totam ejus ſuperficiem glandulis confertim diſpoſitis luculentius quam unquam nudis oculis antea obſervaſſem, in aſpectum venientibus. Num à ſanguinis lentore, quaſi à cauſa continenti, vel à ductuum excretoriorum coarctatione à fibrarum tenerarum convulſione ſecundario cauſata provenit hæc glandularum intumeſcentia neſcio.

Glandulæ Meſenterii ſolito aliquantulum majores erant.

Ren ſiniſter tumefactus, & inflammatus undiquaque erat, abſque ulla pelvis vel ureteris obſtructione.

Ovarium in longitudine unciam unam, ſubducta quarta ejus parte equabat, gracile & coloris ſub rubri.

Tubæ unciam unam, cum quarta ejus parte æquabant.

Inter *Tubæ* extremitatem, ubi *fimbriæ* ejus *foliaceæ* incipiunt, & *ovarium* per membranam quandam *alis veſpertilionum* ſimilem, ea unà connectentem, intercedebat quarta pars unciæ.

Medio

Medio diviſo *Uteri* fundo foramen *Tubæ* ne minimum intro ſpecillum admittebat.

In ſecundo Ventriculo.

Capſula Cordis aqua plena erat.

Cordis Ventriculi ambo ſanguine referti.

Auricula dextra ob ingentem in ea ſanguinis molem ſtagnantem adeo diſtendebatur, ut ad cordis ipſius magnitudinem fere accedere videbatur, inani prorſus exiſtente ſiniſtra, & (quod mireris) turgeſcente etiam ſanguine vena Pulmonali.

Hinc aliquid ponderis conjecturæ quam ab aliquot annis fovi circa uſum cordis auriculæ ſiniſtræ acceſſiſſe cenſeo, (*viz.*) illam à natura deſtinari quaſi diverticulum ad aliquam ſolum ſanguinis portionem excipiendam, dum ventriculus ſiniſter ſyſtolem pateretur, & eam ſtatim, iſtius incepta diaſtole ventriculi, cum reliquo per pulmones tranſeunti denuo ei reddere. Admetiri hanc auriculam ſingulis ejus ſyſtolis cordi ſanguinem, in proportione ventriculo adimplendo commenſurata, hactenus tradiderunt omnes quotquot de corde tractaverunt; Quod ſi verum eſſet, hic haud inanis extitiſſet, vel quod idem eſt, vix eam inſalutatam ſanguis in ventriculum præterfluxiſſet; quicunque

autem exiguitatem ejus reſpectu alterius eam ſcilicet triplo dimenſo ſeu proportione ſuperantis inſpiciet, ſtatim eam ad id præſtandum inhabilem omnino judicabit; quicunque etiam eo tempore, Venæ pulmonalis juxta ſuum in cor ingreſſum, ubi unus truncus, iſque inſignis exiſtit, amplitudinem ſatis adnotaverit, & longe ſecus quam in vena cava prope cor accidit, unico eoque pleno alvo in ventriculum inhians, nullus de immediato inter venam pulmonalem & ventriculum ſiniſtrum commeatu dubitabit. Quo demum fine hæc à natura ita facta ſunt alibi, imposterum forſan detur occaſio magis opportuna inquirendi.

Pulmones hic illic lividi erant ob ſanguinis ſtagnationem, quod ſolenne eſt.

In cerebro ventriculus dexter aqua refertus erat, ſiniſter vacuus, claro ſatis indicio aquam ventriculis ſtatu ſano non competere, uti olim in *Anatomia Cerebri* retulimus.

Plexus choroeidis glandulæ admodum tumidæ, & ſero refertæ erant, ita ut cum per totum cerebrum manifeſta ſatis ſeri extravaſati indicia extarent, affectum hunc ab ejus intra nervorum fibrillas depluvio ortum ſuum tuliſſe admodum credibile fuiſſe videatur.

Arte-

Arteria & *Vena* quas primum obſervavi, & in *Tabula* ad calcem *libri* ſupra memorati inſerta depictæ ſunt, idem foramen cum *pari nervorum* 8° tranſeuntes, quaſi ſtrangulatæ, & ſanguine oppletæ apparebant.

OBSERVATIO XXX.

De Convulſionibus in Puero, cum ejuſdem poſtea Diſſectione.

ACcerſebar ad Puerum temperamenti ſanguinei, & ad hunc ætatis annum (*viz.*) quintum, cujuſvis morbi expertem, jam autem convulſionibus, artus ejus diſtinctis intervallis alternatim extorquentibus, & earum abſentia viſcera interna torminibus afficientibus correptum. Digiti præ cæteris atrocius morbi inſultum patiebantur, ita ut excuſſo paroxyſmo, per dies tres vel plures, incurvati, inter ſe contorti, & inflexiles perſiſterent.

Venæ ſectiones, purgationes, fontinellæ, veſicationes, & plurima quæ peculiarem vim contra hunc morbum ſortiri creduntur medicamenta, qualia ſunt *Caſt: ſuccin: Peon: rad: & Sem: pul: de Gutteta*, &c. jam diu ante meum adventum incaſſum adhibita fuerant à medico doctiſſimo, qui hoc tempore ad quendam ægrum à civitate hac longe degentem advocatus fuerat.

Aliquando Lotium ſatis libere, imo copioſè reddebat, aliquando parce admodum, vel nihil, toto nycthemeri ſpatio. Pulſus ſatis fortiter micabat, & vires conſtabant, parum autem appetivit, & quod ingeſſerat

ingeſſerat frequenter cum magna phlegmatis ſaburra rejiciebat. Hinc cum vomitionem illi uſui fore judicarem, *Tart: Emet:* gr. i ß. in hauſtu illico propinari conſului. Ter vel quater vomebat, ingenti copia humorum viſcidorum ſingulis vicibus eliminata. Sequenti nocte aliquantulum melius dormivit, ſed mane proximo ingraveſcebat affectus, adeo ut ob pedum muſculorum contractiones continuas non omnino ambulare valeret. Proximo loco igitur ad paregorica confugere coactus, ſequentem hauſtum præſcripſi. ℞ *Aq: Rutæ* ℥ i. *Peon: c:* gr. xii. *Syr: Fl: Peon:* ʒ ii. *Laud: ſig:* gr. iv. Ms. f. Hauſtus quamprimum ſumendus, & quarta quaque h. ſi opus fuerit, ad tres vices repetendus. Poſt primam doſin melius ſe habuit æger, non ſolum evaneſcentibus paroxyſmis, quin etiam contorſionibus, tum manuum, tum pedum, naturali jam eorum ſtatu reſtituto.

Continuari Hauſtus paregoricos ad biduum bis in die ſuaſi, quorum uſu ab omni morbi inſultu prorſus liberatus, priſtina ſalute ad dies quatuor vel quinque miſellus fruebatur; Poſtea alvo ſicciori exiſtente exhibita eſt potio ſequens ſatis mitis, & quod facile crederet quiſpiam, omnis periculi expers, (*viz.*) ℞ *Aq: fenic: dul:* ʒ x. *Syr: fl: Perſic:* ʒ vi. Ms. ſumat quamprimum cum regimine. Operationibus hu-

jus Potionis quæ admodum lenes erant, & torminum expertes, vix peractis, de novo intonabat affectus, dire quaquaverſum ſingula corporis membra ſuccutiens, adeo ſpiritibus à levi medicamenti hujus commotione irritatis, ut opium vel dupla quantitate exhibitum, vix ad eos in ordinem redigendos ſuffecerit. Tandem autem fatiſcente paroxyſmi violentia poſt exhibitam exiguam Bolum è *Theriacæ Androm:* cum *Caſtor:* granis aliquot præparatum, ſuborta ventriculi nauſea, ingentem humorum vitioſorum copiam, cum ſanguine coagulato evomebat. Hinc de interno ardore, (quem pluries à motu ſanguinis convulſionibus vel quovis alio in circuitu ſuo modo impedito, in ægris, nullo omnino exiſtente febre, accidiſſe obſervavi,) querebatur, & omnia medicamenta averſatus, Aq: frigidæ avidiſſimè potum expetiit, cujus potum liberaliter illi conceſſum, non ſolum ſibi jucundum, verum etiam utilem variis indiciis teſtabatur. Poſtea, cum eum ab omni genere *teſtaceorum* abhorrere, & magno cibi cujuſvis faſtidio laborare animadvertiſſem, aceti vinoſi uſum ad quantitatem unius cochlearis ſubinde, (*viz.*) ſemel quarta quaque hora conſului, quo mire refectus videbatur, velitationibus morbi quibuſcum adhuc aliquantulum conflictebatur, in totum evaneſcentibus, & priſtino redeunte

unte appetitu. Hoc ſtatu ſalubri integram ſeptimanam permanſit, quo ſpatio temporis finito de novo recrudeſcebat morbus, convulſionibus per tres vel quatuor horas idcirciter partes exteriores, ut ſolebant miſere excruciantibus. Finita autem illic tragedia, moleſtiſſima ſuboriebatur, aliorſum ſpirituum animalium facto impetu, tuſſis, ex qua, licet id quod rejecit ſub forma pituitæ coagulatæ in terram expuebatur, ſtatim tamen in ſalivam tenuiorem diſſolvi videbatur.

Per plures dies brevibus ſolum ex opii exhibitione conceſſis induciis, invicem ſe excipiebant convulſiones & tuſſis, quorum indies invaleſcentium tyrannide tandem oppreſſus, poſt dies aliquot miſere convulſus ſuccubuit.

Diſſectio Tertia. Mart. 27. 1699.

CAuſam morbi in cerebro forſan repertũ iri exiſtimans, ejus primo apertionem inſtitui, cujus nihilominus ſingulisperluſtratis angulis, nihil omnino ſuſpicioni meæ favens deprehendi. Ne guttula quidem vel Aquæ, vel Sanguinis extravaſati apparebat; Vaſa ſanguinea, & cerebri moles, quoad vel ejus partem corticalem, vel medullarem, prorsùs ſecundum naturam ſe habebant. *Sinum longitudinalem* arctius quidem ſuturæ

longitudinali adhærentem quam ſolet ordinario, inveni; cum autem nullam omnino alicujus ſanguinis ullibi ſtagnationem invenerim, iſtius conformationem nihil ad hunc affectum contuliſſe merito judicavi.

Viſcera medii ventris prorſus etiam inculpata.

Nihil etiam omnino in *Thorace* præternaturale inveni.

In imo ventre ſequentia occurrerunt.

Glandulę meſenterii ſolito majores erant, earum aliquot fabæ majoris magnitudinem ſuperantibus.

Protuberantiæ plurimæ in inteſtini *Ilii* convolutionibus conſpiciebantur, ſeriatim diſperſæ, intervenienti ſpatio circiter palmæ latitudinis, nucis moſchatæ magnitudinis; quas cum aperuerim ex interna inteſtini tunica rugoſa flatu veriſimiliter diſtenta, in ſpatio medio inter valvulas conniventes ex utroque latere adjacentes, formatas deprehendi.

Hinc torminum inteſtinorum ſubinde infeſtantium ratio ſatis innoteſcit, non à quavis ſpirituum exploſione pulveris pyrii inſtar oriundorum; ita enim, inter inteſtinorum tunicas, ob fibras eorum motrices a ſpiritubus irritatis in exploſiones adactas, & materiam morbidam à ſeipſis amoliri conantes, *cavitates* hæ ſeu *Protruberantiæ* contigiſſent; ſed potius à flatubus, vel priùs

exi-

exiſtentibus, vel ob ſanguinis circulationem in tunica inteſtinorum intima, propter vaſa inibi à morbi violentia convulſa impeditam poſtnatis, & præ inteſtinorum contorſionibus ab ulteriori, vel ſurſum vel deorſum deſcenſu coercitis. Hinc enim admodum familiares in affectionibus hyſtericis ſunt rugitus inteſtinorum, ventris inferioris intumeſcentia, præcordiorum inflationes, & plurima iſtius generis ſymptomata ab eadem cauſa natalitia ſua ducentia.

Renem dextrum urina tumeſcentem inveni, ita ut ureteris iſtius initium inde prodiens inſtar ſacculi prominuli magni apparebat, reliquo ejus uſque fere ad veſicam, quæ etiam plena erat urina, ad magnam inſuper amplitudinem diſtento, prope autem ejus inſertionem in veſicam denuo coarctato; ita ut proculdubio hanc urinæ collectionem ex ureteris ſola convulſione primum accidiſſe, (cum poſtea apertione facta nihil intus cavitatem ejus obſtruens repertum eſſet,) jure exiſtimemus. Id quod me maxime admiratione perculit, fuit, quod adeo arcte interni ejus conniverent parietes, ut ne lotii guttula pertranſiret, cum vel per tenuiſſimam rimam id permeaſſe potuiſſe ſatis nos erudiet ſequens hiſtoria. *Corpus* cujuſdam calculoſi de febre, tunc temporis populariter graſſanti, mortui, olim memini me ſecuiſſe, cujus unus ren om-

omnino calculis obſtructus erat, uretere ipſo penitus lapidibus, niſi quibuſdam locis, ubi ob omnem prorſus urinæ fluxum impeditum penitus coaluiſſet, obturato, cujus etiam erat alter ren multis calculis & arenis refertus, & iſtius etiam ureter uno calculo, in quadam cavitatis ejus parte arctiori (nam inequalis admodum eſt ureterum cavitas) veſicam urinariam verſus, eum obturanti, adeo obſtructus, ut vix ſpecilli exilis apicem admitteret; non obſtanti qua anguſtia, lotium libere ſatis reddidiſſe, & non niſi ex aliqua ſex rebus præternaturalibus errore commiſſo, Iſchuriam unquam ſuſtinuiſſe novi.

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

De Hydrope cum Diſſectione.

FIliæ cujuſdam Piſtoris annos quinque plus minus natæ, vel à nativitate valetudinariæ, cum totum fere vitæ ſuæ curriculum quamplurium morborum inſultu oppreſſum, & vix ullo (modo brevitatem excipias) levamine delinitum percurriſſet, tandem ſuccrevit hydropis iſta ſpecies vulgo *anaſarca*, ſeu aqua intra cutem nuncupata. Plurima à quodam medicaſtro ex hydrogagorum violenter purgantium genere (uti à domeſticis excepi) in morbi initio propinata fuerant, unde exoluto magis indies partium robore, primo *anaſarcica* poſt *aſcitica* ægra facta eſt. Jam igitur cum eam ocius in mortem ruituram affines præviderent, aliunde opem nimis ſero jam anxie quæſiverunt; prius enim quam illuc appuliſſem, è vivorum conſortio miſella erepta eſt.

Corpore diſſecto, in eo, quantum permitteret male parentum collocata pietas, ſequentia obſervata ſunt.

Diſ-

Diſſectio Quarta. Dec. 1. 1701.

SInistro corporis latere, ſuper quod ſe recumbere pro maxima parte conſueverat, cum id longe altero tumidius conſpexeram, detracta prius cute, particulariter è dextro thoracis latere, & caute remoto muſculo pectorali, (quæ etiam utraque admodum ſpongioſa & aqua madefacta erant) ſublatentium ingentem veſicularum majorum & minorum numerum aqua turgeſcentium, & quaquaverſum continua ſerie diſperſarum reperi; ita ut membranoſarum iſtarum expanſionum, quibus cum muſculis committuntur *Coſtæ*, texturam veſiculoſam eſſe exinde ediſcebam.

Eodem modo ac ſpatio prædicto, repertus erat ingens Veſicularum numerus aqua refertarum in Inguine, & partibus ei vicinis, per panniculi carnoſi in cellulis pinguedinoſis craſſitiem quaquaverſum diſperſarum.

In cavitatis abdomine ſeri ad libras quinque vel ſex plus minus fluitabat, minori longe quantitate quam eorum corporibus fieri ſolet, qui aſcitide primario afficiuntur. Ibi enim pro maxima parte incidit in ventris cavitatem totius ſanguinis ſeri depluvium, ſenſim indies cum maxima partium ceterarum extenuatione auctum.

Omentum

Omentum ſanum erat, fundo ejus ſuper ventriculum ad Diaphragma retro verſo.

Pancreas magnopere indurabatur.

Hepar maculis viridis & ſubalbi coloris invicem commixtis per totam ſuam ſuperficiem variegabatur, integra ſua ſubſtantia prorſus exſucca, ramis *Portæ* & *Cavæ* utrobique plane vacuis, in quorum aliquibus adaptata fiſtula cum inflaſſem, tranſivit libere, tum ad cor, tum ad portæ truncum flatus.

Veſica bilaria omni prorſus bile deſtituta erat; ita ut facile in *acinoſis* hujus viſceris *glandulis*, ubi omnis fit ſucci hujus ſecretio, totalem obſtructionem accidiſſe, primario deficiente nativo calore, ſeu quovis alio modo lentiſcentibus humoribus, concipiamus; unde non ſolum hujus ſeparationem, quin etiam ſanguinis *Portæ* cum *Cava* commeatum omnem (utcunque duarum harum communicatio per ramorum ſuorum extremitatum ampliorum utrinque ab alterutriſque per totam *Hepatis* ſubſtantiam dimiſſorum anaſtomoſin contingat) impeditum fuiſſe, cum maxima veritatis ſpecie conjiciamus. *Veſiculæ* hujus tunica interna *holoſerica* vulgo dicta, glandulis ubique confertim erat obſita, quadrupla proportione ordinario majoribus, colore rubro notatis, ita ut obſtructionem iis etiam accidiſſe facile credamus.

Obli-

Oblinèbatur hic illic hæc *tunica* interna exigua humoris gelatinoſi portione palidi coloris,& ad guſtum inſipidi,adeo,ut contra Cl: & Expertiſſ: Viri *Ruyſch* ſententiam, in Reſponſione ejus ad Epiſtolam quartam D: *Frentz*, uti etiam plurium aliorum ante illum, longe mihi probabilius videatur, eò ſuccum hunc à ductibus harum glandularum eructatum à natura deſignari, quo ſcilicet tenera ſenſiliſque veſiculæ hujus membrana interna a bilis amaritie acri, & ſpiculoſa protegatur, quam ut ab iis portio quædam iſtius ſecernatur.

Glandularum conglobatarum ad imum hepatis adnexarum Lympheductus, (quod mirabar in hoc viſcere exſucco) lympha erant turgidi, ita ut hic potius per canaliculorum ſeu capillarium arteriarum extremitatum parietes, propter magnam in hoc ſtatu ſanguinis debilis, & in partes ſecedere proclivis, circulationis tarditatem, uſque ad dehiſcentiam fere diſtentas, ſeri hujus in cavitates corporis tranſudationem, quam lymphaticorum rupturam ſuſpicarer.

Splen quoad molem recte ſe habebat, at quoad colorem non ſublividi purpuraſcentis erat coloris, quo natura ſana ſortitur, verum tum extus tum intus obſcuro & ſubatro-rubeſcentis. *Veſica urinæ* fere vacua erat; cætera in hoc *ventre* ſana.

Thoracis cavitate continebantur aquæ plus minus libræ duæ.

Pul-

Pulmones ſanguine ſcatebant; cultro diviſi, & digitis compreſſi, humorem album aquoſum & ſpumoſum è ſuis veſiculis, per totam ſuam ſubſtantiam, & per bronchia, in aſperam etiam arteriam, cum eam aperuiſſem, copioſe exſpuebant. Hinc tuſſiculæ, qua ſæpius infeſtabatur, in propatulo erat cauſa; cum tamen interea, etiamſi in cavitatem pectoris tanta erupuit aquæ copia, vix unquam ſpirandi laboraſſet difficultate.

Abundè intra *pericardium* ſcatebat aqua. *Foraminis Ovalis* pars pendula in embrione, hic, ut ſemper in adultis, ſuperna & inverſa erat.

Adeo hic putruiſſent humores, ut licet poſt horas octodecim à morte corpus diſſecuerim, vix ei abſque maxima moleſtia ob graveolentiam inſuetam vix naribus ferendam adſtare potuerim.

OBSER-

OBSERVATIO XXXII.

De Fœmina inter parturiendum mortua, & poſtea diſſecta; uti etiam de cordis in Fœtu ex Utero ejus exempto & vaſorum ejus ſtructura; unde ex propria quaſi occaſione nata, brevis & ſuccincta quædam anatomica adjicitur de ſanguinis per cor, & pulmones, in Embrione ante reſpirationem circulatione Diſſertatio.

FOemina quædam tempore ordinario à natura parturitioni dicato, num propter obſtitricis inſcitiam, (non diu enim facultatem iſtam exercuiſſet) quæ tempore *aquarum* (uti vocant) *eruptionis*, inſequuturi partus prænunciæ, laboranti non ſatis tempeſtive & uti convenerat, ſuccurriſſet; vel aliquarum partium iſtarum diſpoſitionem naturæ moliminibus contranitentem, (nam primipara erat) me fateor neſcire, præmature abſque fœtus excluſione moriebatur.

Hoc certum eſt, Obſtetricem, cum primum ægram oneri ſuccumbere, & vitam ejus periclitari vidiſſet, debuiſſe ab aliis hac arte inſtructioribus opem quæſiviſſe, ita ut ſi non uterque, alter ſaltem Deo favente à morte fuiſſet vindicatus.

Utcunque fuit, cum ad cadaver inſpiciendum vocarer, ſummopere valde gaudebam

bam me tandem opportunitatem nactum fuiſſe qua plurima ad hiſtoriam naturæ, dum in prole nutrienda, & in lucem edenda verſatur illuſtrandam ediſcerem; non diu autem diſſectioni incubuiſſem prius quam utcunque reluctantem res aliorum me ab opera mea divellebant, & ſpem meam nimis magna ex parte fefellerunt; cæterum quem progreſſum ante meum diſceſſum feciſſem, vel potius quantum ſolum inchoaſſem tecum Lector communicare non gravabor.

Diſſectio Quinta.

CAput *Infantis* uteri cervicem ſolum tranſiiſſe ulteriori ejus progreſſu denegato, intra vaginam immiſſo digito vel ex tactu innoteſcebat, quod etiam cum eam aperuiſſemus, oculo videndum palam ſiſtebatur.

Poſtea, apertis prius *Abdomine*, & *Utero*, & acie cultri diviſo *oſſe pubis*, media ſui parte, ubi ſubſtantia cartilaginea interveniente extremitates ejus coaleſcunt, & femoribus non ſine magna vi à ſe invicem diductis, (utcunque de ejus dehiſcentia promptiſſima exitui fœtus magnopere faventi quam multi ſomniarunt,) fœtum ſitu inverſo, (*i. e.*) clunibus ejus & tergo nobis obverſis, manu ſua dextra brachiũ ſiniſtram

amplectentem, cum pedibus reclinatis jacentem, ex involucris ſuis, cum *placenta* ab *Uteri* interno pariete, (qui quaquaverſum duos digitos pene craſſitie tranſverſos ſua æquabat,) abſque vel unius guttulæ ſanguinis miſſione dum illam leniter digitis ſeparabamus, exemimus.

Tumor ingens occipiti ejus inſidebat, quem, facta apertione, ſanguine coagulato repletũ invenimus, à quibuſdam vaſibus ſanguineis, dum uteri cervicis anguſtiis conſtrictũ & ſtrangulatum Infantis Caput hæſiſſet diſruptis, probabiliter ortum ſuum ducens.

Tumor magnus & durus unam *Scroti* medietatem afficiebat, quem *herniam* primo aſpectu aquoſam fuiſſe conjiciebamus; cum autem eum cultro ſtrictius exploraſſemus, vento ſolum intra tunicã *vaginalem* diſtentum, & proinde dato exitu per inciſionem ſtatim evaneſcentem invenimus. Digitum meum in aperturam factam inſerui, experiri lubens, num ullus flatuum iſtorũ intra hanc tunicam vaginalem contentorũ commeatus cum cavitate abdominis intercederet; nullum autem omnino iſtiusmodi communicationem reperi, *proceſſu* illo *peritonei* vulgo dicto, (qui iſtius membranæ lamina exterior eſt,) vaſa ſpermatica vaginæ inſtar in eorum ex abdomine exitu arcte complectente, & cum iis uſque ad teſticulos protenſa, at abſque ulla infra abdomen, eo loci.

ci ubi ex eo primum egredi incipiunt, apertura, (interiori *Peritonei* lamina ſpermaticorum vaſorum exitum firmiter occludente) naturaliter ſe habente.

Hactenus ſolum in pauculis his *Unius* corporum inſpiciendis proceſſiſſe propter rationem ſupra allatam conceſſum eſt. Quapropter ut damnum hoc, quantum in me eſſet, aliquantulum ſaltem reſarcirem, Cor *Embrionis* cum pulmonibus vaſculiſq; appenſis exſecui, ſi quid inibi lateret, quod quovis modo circa partium iſtarũ functiones me erudiret, horis ſucceſſivis poſtea luſtraturus.

Primum igitur in aquam *Pulmones* projeci, qui carnis inſtar, rubri & denſi ſtatim ad fundum deſcendebant.

Foramen ovale ex venæ cavæ trunci aſcendentis, ubi ad auriculam dextram appropinquat, immediate citra *Tuberculum* à *Lowero* ſic dictum (ſe hic aſcendentem inter & deſcendentem iſtius *Venæ truncum* projiciens, quo abſque mutua oppoſitione utrique rivi ſanguinis facilius in cordis ventriculum labantur) extremitate excavatur; ſeſe in *arteriæ venoſæ* ſeu *pulmonalis venæ* finem aperiens, ubi vas iſtud ſanguinē ſuum pleniori alveo poſt infantē natum è pulmonibus refluum effundere ſolet. Unde evenit ut huic *foramini* occludendo poſt natum infantem, dũ *valvulam* quandã *foramini* prædicto appoſitam, & proximo loco deſcriben-

dam prǽterfluens, curſu ſuo naturali ad foraminis marginis ejus arctius adigendo aliquantulum, (licet alio artificio omnino, quam hactenus creditum eſt quod ſuo loco ſtatim demonſtrandum venit, id domum negotium à natura peragatur) inſerviat.

Hujus *foraminis* cum ſanguine per id profluenti habes delineationem prout ejus ſtructura ſe habet in *fœtu* hoc præ meis manibus ante reſpirationem nato, in prima *Figura a b.*

Valvula hæc prædicta à ſuperiori marginis foraminis parte, & ex illo iſtius latere, quod auriculam ſiniſtram aſpicit, enaſcitur, deorſum propendens tali latitudine, qualis veli inſtar, ſi quovis modo applicetur, vel propellatur ad *foraminis* circumferentiam, eam contegere valeat, ut videre eſt in *Fig:* prima *c c c.*

Inferiori hujus parti *chordulas* quaſdam rubras & fibroſas, quibus ad *venæ pulmonaris* parietem alligari videbatur in *vitulis* adnatas ſemper conſpexi, & ita unius eorum corde à me præparato conſpiciendæ veniunt, in *hominibus* autem ſemper abſentes.

Obturatum iri hoc *foramen* poſt fœtus nativitatem à *valvula* jam deſcripta, dubitavit nemo; de modo autem ſeu ratione qua fit, à nemine quod ſciam ſcriptis proditum eſt. Quam idcirco, cum miræ exinde naturæ in operationibus ejus juxta regu-

las

las mechanices ſolertiæ Lectori his rebus ſe addicenti illuceſcat inſtantia, hic loci inſeruiſſe, haud ſupervacaneum eſſe duximus.

Recordemur igitur *Tuberculi*, de quo ſupra mentionem fecimus, & alii præter eum à *Doct:* Viro aſſignatum, nec minus neceſſario uſui id inſervire reperiemus; utpote cujus miniſterio occluſioné *foraminis* prędicti, quo à minori brevioriq; ad majorem longioremq; circulũ ducat ſanguiné, natura, quamprimum reſpirare inceperit Infans, abſolvit.

Copia igitur mihi facta *Infantis* alius furtiva venere geniti, & à matre crudeliſſima poſt dimidiam horæ quadrantem (uti confeſſa eſt ante obitum) ſuffocati, (cujus diſſectonis poſtmodum narrationem integram habebis,) *Cor* ejus cum ſingulis vaſis ſanguineis primum inflavi, & eodem etiam tempore *pulmones* per *tracheam* eos quotidie de novo inſufflando, idque ter vel quater in die, (aliter enim vix omnino inflati manebunt, & utcunque ſedulo id coneris, admodum imperfecte eos tandem inflatos habebis,) & aeri aprico, utraque (*viz.*) tum hoc, tum illos ſuſpenſa uſque ad omnimodam exſiccationem commiſi; quæ ſane prius *Spir: Vini* perfuſa, & condita, eleganti forma gaudentia, uti etiam adultorum, tum *hominum*, tum *brutorum* mecum domi ſervo cuilibet, cui id volupe fuerit, inſpicienda.

Poſtea apertis cordis hujus Infantis auriculis, *foraminis valvulam* ſitum alium, & ab illo qui in prioris Infantis corde cernitur, & in priori *Fig:* delineatur, plane diverſum, uti in hac *Fig:* ſecunda per explicationes ejus manifeſto ſatis patet.

Inſpectis his *Figuris*, annotatiſque earum explicationibus, ſuccinctior, longe intellectuque facilior erit ſermo quem ſuper hoc naturæ negotio inſtituturi ſumus.

In prima *Figura* conſpicuum eſt, ſanguinem in *fœtu* nondum reſpiranti, modo plane declivi à venæ trunco aſcendenti prope ad auriculam per *foraminis* partem inferiorem è tranſverſo directe illi patentem, in *venæ pulmonalis* extremitatem prope ad *auriculam* ſiniſtram, ſtatim ad ſiniſtrum *ventriculum*, illinc per *aortam*, & inde in corpus univerſum trajiciendum, dum fœtus in utero, ſit & Pulmones immoti perſtent, tranſmigraturum.

In *ſecunda*, videmus *foraminis* aperturam, quarta ſui parte, præter propter reſpectu ad ejus circumferentiam habito, cum valvula, ab imo ſuo ſitu, dextram verſus altius aliquantulum ſcandentem, in *Infante* recens nato, & per paucula momenta reſpiratione uſo; unde colligere eſt, quod ſanguis è vena cava illuc appellens, & aperturam iſtius *foraminis* è tramite ſuo priſtino aliorſum (*viz.*) a litera *c*. in prima *Fig:*

ad

ad literam *c.* in *ſecunda*, deflectentem reperiens, in auriculam jam alveo ſuo inhiantem, cum ſanguine reliquo à ſuperiori *ſeu* deſcendenti *Venæ cavæ* trunco refluo, per partem foraminis jam clauſam novo incepto curſu decurrat.

In tertia *Figura*, *foraminis* apertura, adhuc altius ſuſpenſa cum valvula, juxta naturalem ſuam diſpoſitionem in *fœtu* tres ſeptimanas nato, (cujus viſcera penes me ſunt in *Sp: Vini* præſervata) delineatur.

In *quarta*, *foramen* cum ſua apertura, & *Valvula* plane inverſum, uti in corde *adulti* quod præparatum habeo, apparet; ubi ejus apertura ſupra tuberculi marginem inferiorem è latere *Venæ pulmonalis* penitus ſe recondit, cum *valvula* eidem proculdubio tractu temporis, prorſus, ni aliter quovis impedimento interveniente contingat, firmiter adhæſura. Eſt ubi dehiſcentiam intra *valvulæ* hujus extremitatem & *tuberculi* marginem prædictam ſuperiorem conſpexi, licet, uti ab autoribus quibuſdam vere obſervatum eſt, rarius contingentem; cum enim ad ſummitatem in *Figura* quarta notatam aſcenderit *apertura* cum *Valvula* plane inverſa, ad rivum ſanguinis è pulmonibus tranſmiſſum magis exponitur (ut conſpectis *figuris* conſtet) quo factum eſt ut exigua forſan ſanguinis portio continuo illac irre-

 pendo,

pendo, *valvulam* eo loci ab omni cum margine *tuberculi* cohæſione, vel per totam vitæ humanæ ſpatium impediat.

Abſoluto jam negotio quod ſuſcepimus in *foraminis* hujus ſitu, ſtructura, & mutatione demonſtrandis, quoad fœtum humanum ante, & poſt ejus nativitatem, ultro ſe offert occaſio, ut aliquid de ejus uſu, utpote etiam de ratione integrorum cordis vaſorum, ſtructuræ, & fluidorum per id tranſcurrentium in fœtu, modo ab eorum qui in adultis conſpicitur plane diverſo, in medio prof. ram ; Idque eo lubentius, cum ob hanc hactenus vix ſatis perſpectam anſa data eſt, Monſieur *Merry*, Chirurgo Parienſi, eidem & anatomico peritiſſimo munus plane novum huic *foramini* aſſignandi, & iſtius ſuffulciendi anſa, magnopere circa cæterorum cordis vaſorum ſtructuram, & officia, hallucinandi.

Id autem vix auſpicatius fieri poſſe judico, quam ſi *Dom: Merry* ſententiam prius expoſuerim, poſtea aliorum contra eam objectiones recenſuerim, & tandem quid egomet circa hanc controverſiam cenſeam, breviter ſubjunxerim.

Aſſerit Cl: Vir quod juxta communem opinionem de ſanguinis circulatione in fœtu per Cor, Arteria *Aorta* magnitudine

M. Merry, *De la Circulation du Sang du Fœtus par le tron Ovale. Extrait des Regiſtres de l'Academie Royale des Sciences.*

ne excedere debet *Arteriam* Pulmonalem.

Poſito enim ſecundam eorum ſententiam totam ſanguinis molem è vena cava allatam ad Cor, mediantibus *foramine ovali* cum auricula & ventriculo ſiniſtris, per Arteriæ aortæ truncum illinc revehi, dempta exigua iſtius portione, tertia (*viz.*) totius (ut illi affirmant,) ventriculum dextrum intrantis plus minus parte, & per *canalem communicationis* in truncum aortæ deſcendentem deflectentis, neceſſe eſt, ut *Aorta* longe amplior exiſtat *Arteria pulmonali.*

Cum autem è contra ex autopſia, uti ait, ſibi conſtaret, *arteriam pulmonalem aorta* bis eſſe ampliorem; ſtatim contra hactenus receptam in corde fœtus ſanguinis circulationem inſurgens, aliam plane novam, & à vero aberrantem è cerebro ſuo effinxit, quæ ſic ſe habet.

Totius ſanguinis in tres partes diviſi in ventriculum dextrum è vena cava allati, & *foramen Ovale* omnino prætervecti, pars una eaque maxima per *canalem communicationis* (quæ ad *aortæ* magnitudinem fere accedit, idque vere, uti in *Fig:* 5. explicatione patet ſecundum illum) in ejus truncum deſcendentem tranſit, partes reliquæ duæ per arteriæ pulmonalis ramos binos per pulmones circumferuntur, quorum portio illa reſidua, quæ per *aortam,* (cujus

(cujus (uti ait ille) diameter duorum arteriæ pulmonalis ramorum diametris unitis, non prorſus reſpondet,) revehi non poteſt, è *vena pulmonali* per *foramen Ovale* omni valvula, juxta poſitionem ſuam deſtitutam, Ventriculum dextrum intrat, illinc in arteriam pulmonalem denuo, ut prius per pulmones, inſalutatis prorſus vel *aorta* vel ventriculo ſiniſtro, continuatò deinceps hoc privato, & ab altero reliquoque ſanguini communi ſeparato per totum geſtationis tempus circuitu, rediturus.

Huic novæ hypotheſi concinne fabricatæ & priori dudum receptæ prorſus contrariæ (& ut mihi ſane probabile maxime videtur) nodo illo quem *arteriæ pulmonalis* præ *aorta* in *fœtu* magnitudo nexerat ſolvendo apprime compoſitæ, utcunque majoribus difficultatibus implicatæ, ſcriptis oppoſuere *Cl:* D: D: *Verheyn* & D: *Buſſiere.*

Prior, miſſa omni quæ ex inſtituto duarum arteriarum tubulorum quoad eorum amplitudinem quovis modo (*viz.*) per inſufflationem, ſeu alicujus liquoris injectionem examine deſumatur, utpote admodum in ſe incerto, argumentatione, *valvulæ* præcipuè quæ *foramini ovali*, pro operculo inſervit, exiſtentiam à D: *Merry* negatam, & inſuper ejus ſtructuram communi opinioni maxime faventem; deinde *foraminis* ejuſdem magnitudinem inſignem,

utpote

utpote tantillæ portionis ſanguinis ſolum reductioni quam per id admitti ſtatuiſſet D: *Merry*, minime reſpondentem, magno ſane animi acumine, cum aliis quibuſdam rationibus levioris momenti contra illum urget.

D: *Buſſiere*, poſtquam valvulæ ſitum, ad ſanguinem, uti contra D: *Merry* ſententiam omnes hactenus ſtatuerunt, è *vena cava* intromittendũ idoneum demonſtraverit, & rationem qua *Aorta* eandem ſanguinis quantitatem eodem temporis ſpatio, etiamſi anguſtioris ſit capacitatis, modo niſus ejus ratio, ſeu vis pulſifica fortior ſit, quo vas aliud minori niſu donatum eam tranſmittere valeat, etſi ampliorem cavitatem ſortiatur, optime explicuerit; tandem *arteriæ* utriuſque peripheriam eandem, vel ſuffragante experientia attribuendo, ſe penitus D: *Merry* hypotheſin *arteriarum* iſtarum inæqualitati præcipuè innitentem unico iſto argumento inexpugnabili ſuſtuliſſe contendit.

Satis omnino ad omnes à M. *Merry*, hypotheſis ſuæ ſuffulciendæ cauſa allatas rationes diluendas a præmemoratis *Cl: Autoribus* fuiſſe dictum, quam libenter fateor. Parùm autem, vel nihil, quantum mihi obſervaſſe contigit, ad eam, quæ maxime interea momentum habere videtur, difficultatem enodendam; unde ſcilicet eam *Arteriæ Pulmonalis* quam ei revera ineſſe in *Embrione*, cavitatis amplitudinem cernimus

mus ſi non duplicem ad *Aortam* ſecundum *Dom: Merry*, ſaltem *Dom: Buſſiere* conſentiente æqualem, imo aliquantulum, (omnimoda experientia facta edoctus) aſſeverare audeo, majorem (uti inſpecta *Fig: 5.* conſtat) accediſſe contigit, cum ſanguinis longe minorem quantitaté per eam reduci, quam per *Aortam* juxta communem opinioné omnes hactenus ſtrenuè conſtanterque ſtatuerunt.

Verum omnino eſſe concedo quod eodem temporis momento poſſit eadem quantitas liquoris per anguſtiorem canalem, ubi vis impellens per eum fortior extiterit, quo per alium ampliorem liquorem vi minori adactum tranſmittentem tranſire, juxta rationes à D: *Buſſiere* in loco prædicto ſupra datas; Minoris autem hic longe momenti eſſe hoc argumentum mihi videtur, quoniam nullam omnino rationem video, quod poſtquam tam copioſæ ſanguinis portionis per *Arteriæ pulmonalis*, & canalis arterioſi amplitudiné, uti ex ſupra allatis pateat, receptioni, præſertim cum etiã per particularé vaſorũ conformationem infra tradendam, parciori per Pulmones ſanguinis circulationi (quo maxime videntur veteres collimaſſe) (fœtu adhuc in utero exiſtente) natura proſpexerit, adeo immenſam iſtius quantitatem per aliã ſemitã longe minus accommodatã, (*viz.*) cavitates Auriculæ & Ventriculi ſiniſtri anguſtiores transferri, vel veteres vel ulli eorum aſſeclæ contendant. Pauca

Pauca igitur ad iſtius difficultatis ſolutionem, ſeu dilucidationem, ab iis prætermiſſam, eorum qui veritatem ſolum colunt gratia hic ſubnectere viſum eſt.

Eaque ex partium accurata inſpectione exprompta, de quibus ſermo jam eſt & controverſia; *viz.* in *fœtubus* humanis aliquibus ante reſpirationem mortuis; aliis aliquot momenta ſolum temporis poſt nativitatem reſpirantibus; aliis diem unum & alterum natis & denatis; aliis tribus ſeptimanis natis; aliis adultis; quorum omnium corda cum vaſibus ſuis appenſis aliquot inflata & ſiccata, alia humida in ſpiritu vini infuſa, alia ex injectione ceræ præparata, alia corpore integro ſanguine adhuc turgida, & in eo ſtatu diutina ſpiritu Vini immerſione indurata, apud me ſervantur.

Primò igitur advertendum eſt, *valvulam* ſupra dictam *foramini ovali*, ſeu potius *rotundo* appenſam, ejuſdem margini undiquaque adnecti, ſervata ſolum quarta plus minus parte ad imum iſtius *foraminis* aperta ſanguinis tranſcurſui dicata; ita ut haud adeo magnam ſanguinis quantitatem, ac hactenus ſuſpectum eſt, juxta communem opinionem per eam traſmitti poſſe, & proinde majorem longe quam antea ad *arteriam pulmonalem* aſcendere merito concludamus. Cui argumento ſtabiliendo maxime

ime facit *Canalis arterioſi* conſtitutio, qui etſi naturali ſua proportione cum vacua eſt, non prorſus juxta D: *Merry* ad *Aortæ* magnitudinem venit, uti cuiquam facile cui volupe fuerit eam, ſeperatis prius membranoſis expanſionibus eam cum *arteria* pulmonali & *aorta* connectentibus, caute denudatam, oculis contemplari apparebit; liquore tamen quovis repletam, eam quam proxime primo ſuo præcipuè egreſſu ad arteriæ iſtius cavitatem accedere reperiet. Hoc cum primo animadvertiſſem, & curioſitate excitatus eam cultro aperuiſſem, internam ejus tunicam laxam, & parum rugoſam, & proinde cuivis liquori impetu quovis injecto facile cedentem reperi; adeo ut longe majori ſanguinis oneri, quam olim veteri *hypotheſi* innixi crediderunt, revehendo à natura comparatam eſſe jure autumemus.

Secundò attentionem noſtram meretur, *Arteriæ pulmonalis* ramorum duorum ſtructura, ab aliis quod ſciam nondum animadverſa. Hi enim ſtatim ab eorum ortu qui à parte hujus *Arteriæ* trunci interiori eſt, è regione canalis communicationis adverſa, non ſolum admodum a ſe invicem utrinque, dextrorſum ſcilicet, & ſiniſtrorſum, maxima fere diſtenſione inter ſe facta recedunt, quin etiam admodum in ſuo tranſitu declives evadunt prius quã pulmones ingrediuntur. Ita ut ab aliquo tempore vix mihi per-

perſuaderem, ullam omnino ſanguinis portionem pulmones illac ingredi poſſe, præcipuè, cum è directo vas ei adeo amplum adſtare ad ſanguinem illuc adductum excipiendũ (*viz.*) *Canalem Arterioſum* adſpexerim. Cum igitur viam illam adeo deviam & impeditam ſanguis invenerit, & ob *Valvularum ſemilunarium* renitentiam facile regredi nequiverit, *Arteriam* hanc non poteſt, quam aliter accidiſſet, non reddere intumeſcentiorem. Imo, ut verum fateor, ex hac vaſorum conformatione (quæ omnem ſcilicet per pulmones ſanguinis circuitum præcluſiſſe, mihi primum videbatur,) adæquatam ſatis difficultatis hujus enodationem, cur ſcilicet *Arteria* hæc cavitate tam ampla donaretur, præſertim, cum Cl: aliquot *Viros* in eadem fuiſſe ſententia, jamdudum mihi innotuerat, me inveniſſe credideram, & vix alicujus momenti apud me fuit communis objectio, quod aliter (*viz.*) haud ſatis aperta per tam longam *fœtus* in Utero moram ſanguinea vaſa manſiſſent; cui rejeciſſe ſatis eſſet, quod veſiculas aereas abſque ullo aeris aditu ſatis apertas, per totum id ſpatium cernimus manere. Cum autem mihi non omnino conſonum videbatur, vel aliorum, vel mei ipſius conjecturis in re nondum experientia probata fidere, ſtatim ad iſtius trutinam me contuli modo ſequenti.

Embri-

Embrionis vitulini *Arteriæ pulmonalis* ramos (qui ſecus quam in homine tres ſunt, duo majores, unus longe illis minor) è primo eorum à trunco ſuo egreſſu filo ligavi, poſtea eos *pulmones* ingredientes a pulmonum ſubſtantia denudavi, tandem facta levi in uno eorum apertione, ſanguinis, ſtatim copioſam ſponte ſubſequi vidi effuſionem, eamque parcius vel liberius, prout poſtea *pulmonum* lobos digitis levius vel fortius digitis comprimerem, effluentem; & quod mirabar, admodum ſpumoſum uti in *hepatis embrionum* ſanguine olim obſervaveram. Utcunque autem de ſanguinis circulatione per hoc viſcus certior factus ſum, nullus dubito quin admodum lento gradu fiat; cum ob conformationem vaſorum ſupra narratam, tum ob *pulmonum* ſubſtantiam tunc temporis adeo denſam & compactam, ut inſtar glandularum ad tactum dura & nodoſa ſentiatur; Nec ſane quomodo per pulmones circulatio ſanguinis apte fieri potuit, concipere valeam, niſi vaſa ſanguinem excipientia, durante tempore geſtationis, concidentibus tunc temporis *Pulmonibus*, longe ampliora & capaciora exiſterent, uti revera vel viſui ſatis perſpicuo apparent, nondum expanſionem paſſis pulmonibus.

Conceſſa autem tardiori, hoc per pulmones ſanguinis tranſitu, quo fit ut minor

ſangui-

ſanguinis per eos quam ſi eorum ſubſtantia laxior rariorque fuiſſet ſingulis *Ventriculi dextri ſyſtolis* percurrat; propter eandem rationem, a confertiori ejus in hanc *Arteriam* influxu, neceſſe erit, ut *trunco* ejus amplitudo major accedat.

Aliam *phœnomeni* hujus rationem a laxa & tenſili arteriæ pulmonalis tunica mutuemur, & quæ unica *Cl:* illi Viro, egregie videtur impoſuiſſe; hinc enim evenit, ut quovis modo *arteriam* hanc, *(viz.)* vel flatu, vel ſimplici quovis liquore vel cera repleveris, inde molem ſibi naturali fere duplam adſciſcat, uti in *arteria* hac cera præparata apud me videre eſt; quo autem certius de facto conſtaret, experimentum feci in *arteria pulmonali* adulti, ubi ſimili prorſus modo rem ſe habere inveni; bis enim ſaltem hinc vidi *aortæ* trunci diametrum illum arteriæ pulmonalis ſuperaſſe.

Ultimam, eamque non leviſſimam mihi liceat adnectere, providum *(viz.)* naturæ ſcopum; hinc enim cautum eſt ne fœtu poſtea in lucem edito, a longe uberiori ſanguinis quantitate huic arteriæ allata, ab utriuſque ſcilicet, venæ cavæ truncis reflui, & celeri ejus appulſu, ceſſantibus jam *foraminis rotundi*, & *Tubuli arterioſi* officiis, *arteriæ* hujus parietes ſubito diſrumpantur.

Diſſectio Sexta, (viz.) Embryonis ordinario partus tempore nati, & poſt minuta ſeptem denati.

Dec. 22. 1701.

INteſtinum *Colon* tribus, plus minus unciis ultra *Cæcum* in totali ſua circumvolutione, & tandem in ejus deſcenſu tribus vel quatuor factis circumgyrationibus, prope Cæcum fæcibus ſubflavi coloris, & conſiſtentiæ pultem referentibus replebatur, quæ colorem intenſe viridem per integrum *Rectum* uſque ad *Anum* exhibebant, unde *Meconii* nomen vulgo nactæ ſunt.

Meſenterium inteſtinum *Jejunum*, & *Ileum* ubique colligans à ſua terminatione ubi incipit *Ileum* ſurſum denuo ad originem ſuam aſcendere videbatur, & ab eodem loco terminationis ſuæ (*viz.*) ubi *Ileum* in *Colon* aſcendit, membrana quædam illi continua, longe autem gracilior, *Colo* adnaſci, vulgo *Meſocolon* dicta, quæ quidem potius mihi videtur eſſe quædam *Membranæ Peritonei* productio, ubique *Colo*, imo Inteſtino etiam *recto* è vertebrali regione protenſa, & *Meſenterio* propriè ſic dicto videlicet Inteſtina *tenuia* invicem connectenti, loco ſupra indigitato connata.

Veſica Bilaria exterius coloris erat ſub-

rubri.

rubri. Leniter eam, & quam caute fieri potuit, ab hepate ſeparavi, videre lubens, qualem mihi aſpectum præberent radices ejus vulgo ſic dictæ. Ne guttulam quidem ſanguinis vel alicujus alius liquoris ex iis ſtillare deprehendere potui. Fibrillarum ſeu ſurculorum inſtar mihi apparebant è granulata ſeu glanduloſa *Jecoris* ſubſtantia erumpentes, & ad veſicam protenſi. Intus in ea continebatur exigua ſolum humoris viſcidi & gelatinoſi portio ad guſtum plane inſipidi. Eundem in Embrionibus *vitulinis* pro ratione ætatis magis vel minus, inſipidum ſæpe expertus ſum. In iis parturitioni proximis flavioris coloris, & guſtus amarioris.

Interna ejus membrana glandulis parvis confertim conſerebatur.

Nullam prorſus *Bilis* ex hiſce ſubminiſtrari glandulis portionem (ut Cl: aliquot viri ſuſpicati ſunt) prout ſupra adnotavi etiamnum me credere autumo, & exortam circa hanc rem inter quoſdam peritiſſimos Anatomicos controverſiam plane ſuſtuliſſe (iis nempe animalibus ubi hepati *Veſica fellis* adnaſcitur) mihi videtur Experimentum ſequens, à Cl: Viro *Joſ: Zambeccario*, factum, in Experimentis ejus circa diverſorum viſcerum conſtitutionem, è diverſis animalibus exſectis, Cl: Viro D: *Redi* dicatis *Miſ: Cur: Decur:* 3. *An.* 4. *in App:*

p. 104. ubi foveam hepatis totam à *veſicæ bilariæ* leni divulſione relictam cujus externis labiis poſtea adhæreſcebat *Inteſtinum*, bile extravaſara refertam invenit, abſque eo (ut iſtius verbis utar) quod eidem bili particula aliqua extravaſati ſanguinis immixta appareret.

Ductus ejus in duodeno inteſtino unciæ unius cum dimidio latitudine infra *Pylorum* ubi tranſverſim ſub fundo ventriculi, ad latus ſiniſtrum Inteſtinum jejunum introiturum vergere cæpit, cum exigua protuberantia quam in adultis nunquam obſervavi, terminabatur.

Pancreas coloris albi erat, è plurimis glandulis minoribus, quoad ſuperficiem ejus conflatum. Longitudo ejus quatuor uncias æquabat, latitudo unciam dimidiam. Ductus ejus ſeorſim à ductu bilario exiguo intervenienti ſpatio, & eodem inteſtini latere, cum protuberantia etiam exigua, uti ductus bilarius terminabatur.

Meſenterium quod à vertebris lumborum ſuperioribus exortum eo loci ubi duodenum flexim ſub ventriculi fundo ſerpens, cum *Jejuno* communicat, inteſtinorum gracilium circumvolutiones quaſi in centro colligit, & ſuſpendit, *glandulis* quampluримis ſcatebat, quoad magnitudinem inter ſe diſcrepantibus, maximis earum (quales ſunt eæ quæ in *Ilei* vicinia exiſtunt) vix piſum ſuperan-

ſuperantibus, omnibus *Meſenterii* centro quam ejus limbo propioribus.

Diaphragma muſculis duobus utrinque è parte ſua infima, & poſtica prodeuntibus, & in *Tendines* duos albos, teretes & validos deſinentibus *Vertebrarum* decimæ tertiæ firmiter alligabatur.

Glandulæ renales ſeu *Capſulæ atrobilariæ* vulgo dictæ in *Embrione*, & in adultis ad aliquot menſes, *renibus* non ſolum in eorum ſuperiori parte inſtar Cotyledonum arcte adhærent, verum etiam productione membranea eos ex omni parte circumambiunt. In parte ſuperiori ubi inſtar cotylæ eos arcte tegunt longe craſſiores ſunt; in ſuo deſcenſu, eorum limbis exterioribus ſubſtantia ſua glanduloſa at eo loci aliquantulùm ſuperiori earum parte longe graciliori leviter adhærent; poſtea foliacea & tenui expanſione *renes* integros amplectuntur.

Diaphragmati parte ſua inferiori arcte ſatis adhærent hæ *Glandulæ*, & eorum *dextra* etiam hepati.

Siniſtra, parte ſua ſuperiori firmiter *ſpleni* adnectebatur, & etiam *Pancreati*, quod cultro ſeparare neceſſe eſt, priuſquam omnino in conſpectum veniat.

Subſtantiam eorum glandularum inſtar conglomeratarum ſe habere plane deprehendi, ex qua cultro diſſecta ſuccum pro-

dire aquoſum inſtar earum glandularum videbis.

Facile eas tota ſua ſubſtantia à renibus ſeparavi abſque alterutriuſq; læſione, cum quibus communicare vaſorum tenuium interventu more eodem, ac *pia mater* ſubjacenti cerebro plane conſpicies.

Ramum inſignem ab arteria & vena emulgenti renibus his ſuccenturiatis tranſmitti ſemper obſervavi.

Glandulæ duæ exiguæ conglobatæ immediate hepati ſubjacebant, quarum una ei per productionem *Meſenterii* affigebatur, altera (*viz.*) ſuperior alia pariter productione ſimili *ventriculo*, eo loci, ubi eum ingreditur *æſophagus*.

Ventriculus ſubſtantia quadam craſſa gelatinoſa palidi coloris replebatur, portione ejus quæ pylorum verſus ſubſtitebat reliqua longe tenuiori expurgatiori, & tranſlucida exiſtente, & eodem ſtatu per inteſtina omnia gracilia perſiſtenti.

Ventriculi interna membrana microſcopio ſpectata viſui *glandulas* pene innumeras albas ſibimet prope adſtantes, & per totam ejus ſuperficiem quaquaverſum diſſeminatas exhibebat.

Pylorum nil niſi ventriculi membranæ interioris portionem duplicatam, unde durior aliquantulum ad tactum ſentitur, in Duodeni

deni principium dimiſſam & laxe propendentem, eſſe plane conſpexi.

Vena umbilicalis hepatis ſinum medio fere tranſitu intrans, magnam inde ſanguinis partem per *Tubulum venoſum* immediate in *venam cavam* prope diaphragma, partem aliam & proculdubio majorem in *Portæ* venæ ramulos per totum hepar diſperſos tranſmittit; cum enim *ſinum* iſtum aperuiſſem, ſtatim in eo inſignia quædam foramina, quinque vel ſex ex utroque ejus latere exſculpta, quæ ſpecilli immiſſione primum, poſtea ulteriori proſequutione facta per totum hepar pluribus ſubdiviſionibus diſtribui, plane detexi. Ultra hos inſigniores ramificationes è *ſinu* etiam prodiere innumeræ fere aliæ parvulæ, vix ſetam porcinam admittentes.

Tubuli venoſi diameter, cum eum diſſecuiſſem, vix quartam *ſinus* diametri partem æquare reperi.

Sinus ipſius longitudinem duarum fere unciarum habuit, & latitudinem ſemuncialem.

Venæ portæ ingreſſum in hepar, cum alibi in embrionibus *vitulinis* indagarem, alium prorſus ejuſdem quam hactenus quod ſciam ab aliis obſervatum eſt, conformationem adnotaſſe contigit; Primo enim ſuo in hepar appulſu utriuſque ibi truncis ejus unitis (qui longe minores ſunt, in embrio-

brionibus quam adultis, proportione utriuſque etiam quoad corporis molem habita,) immediate poſt ejus ingreſſum *ſinum* quendam componit illi plane ſimilem quem *Portæ* ſinum nominamus, ſolum aliquantulum minorem. Ex eo emittuntur ramus unus magnus deorſim, alius ſurſum, alius antrorſum prioribus minor, ex his procedunt plures aliæ ramificationes undiquaque per jecur diſperſæ. Hiſce ita dimiſſis, anterius alveo majori, quod reliquum eſt ſanguinis in *ſinum* magnum ſupra deſcriptum deponit.

Conſtantem hujus hanc *Portæ* conformationem in variis fœtubus vitulinis obſervavi; fateor autem ejuſdem exiſtentiam in humanis embrionibus, haud pari fiducia me poſſe aſſerere, cum id in ſchedulis meis ſpeciatim & expreſſe notatum non inveni; forſan quod aliis majoris tunc temporis momenti inquirendis diſcribendiſque, quoties iis tractandis verſarer, penitus defigebar, ſi autem memoriæ ullatenus in hac re fidendum ſit, de ejus exiſtentia vix dubitare licet.

Subſtantia quædam rubra exigua *Portæ* utrinque inferius adhæreſcebat, num ejuſdem cum hepate ſubſtantiæ, vel alterius particeps neſcio, poſtea forſan temporis progreſſu Jecoris πύλαι nominanda.

Veſicularum ſeminalium ductus termi-

nationibus ex utroque latere *roſtri Gallinaginis protuberantia* quædam adſtabat, uti ductibus *bilario* & *pancreatico* ut ſupra annotatum eſt; nullus autem extillabat liquor utcunque valida vel veſicularum vel proſtatarum facta compreſſione.

Veſica urinaria parum urinæ in ſe continebat, & ſpiritu inflata paululum ſolùm ultra eam quam poſſidebat amplitudinem diſtendebatur.

Thymus ter magnitudinem ejus quàm in hominibus ordinario cernimus, ſuperavit. Subrubri floridiq; erat coloris, originem ſuam à ſuprema ſterni parte ducens, cui medio ejus deſcenſu firmiter adhærebat; reliquo ejus deſcenſu liber ſuper cordis baſin incumbebat, ad mucronem ejus proceſſibus ſuis lateralibus (nam protenſior eſt partibus ejus lateralibus quam medio) fere portingens, qua ejus parte media ſcilicet eum connectit Oſſi ſterno *mediaſtinum*, per eum longitudinaliter tranſcurrens.

Inteſtina 20 pedum longitudinem exequabant.

Urachi è veſica exitum per ſtylum & flatum (utcunque certo eum cuivis eo modo indaganti ſucceſſum ſpondeat Cl: *Needham*, p. 94.) tamen incaſſum etiamſi omni diligentia id fecerim inquiſivi. Tandē eam *Aq:* f. repletam (cujus tria cochlearia integra capiebat) fundo deorſum filo ſuſpendi,

di, quam totam ſpatio tridui per urachum in vas ſuppoſitum lente & guttatim tranſiiſſe reperi. Hinc de perforatione *Urachi* factus certior eam ſetarum, & graciliorum ſpecillorum immiſſione ulterius inquirendo proſequebar. Cum autem nullo modo eum detegere valuiſſem, demum inverſa prius veſica, & intruſo ſubtus digito, in rugoſa ejus membrana verſus fundum eo loco ubi de ea procedit *Urachus*, papillam quandam oculis detexi, cujus apicem forficibus cum abſciſſiſſem, ſtatim oculis meis incurrit ejus perforatio.

Huic intruſum ſpecillum facile in *Urachum* tranſivit, & poſtea adaptata fiſtula inſufflatoria eum cavitate pennæ anſerinæ & amplius donatam deprehendi; cujus in veſicæ urinaria apertionem ob internæ ejus membranæ lubricitatem & laxitatem, vel ſaltem peculiarem quandam conformationem nondum mihi notam vix occulis, digitis, vel ſtylo, ſtatu ſuo naturali deprehendere unquam poſſumus.

Pulmones rubri & ſanguinei coloris ſunt in aqua (ut ſupra) ſubſidentes. Quo mihi certius conſtaret, num ſanguis per eos circularetur ante reſpirationem (ſunt enim qui negant) denuo hic in *fœtu Humano* ut antea in *Vitulino*, *arteriam pulmonalem* filo ligavi prope cor, poſtea è foramine cuſpide ſcalpelli in uno ejus ramorum facto ſponte

te ſanguinem, & libere, & majori vel minori abundantia juxta quod vel leniter vel fortiter pulmones digitis comprimerem effluentem, ut olim conſpexi.

Pulmonum ſubſtantia interna illam glandularum conglobatarum quam proxime emulatur.

Interſtitia, quorum mentionem facit *Malpighius*, *lobulos* diſterminantia, hic facile ſe præbent conſpicienda per ſe, diſtinctius autem ſi pulmones juxta ejus monitum ſemiinflatos reddas.

Fortiter aerem per *Tracheam* in *pulmones* inſufflando, ſæpe quibuſdam in locis *membranam* externam à ſubſtantia *pulmonum* ſeparatam, & quaſi in veſiculas quaſdem expanſas & aere plenas obſervavi, earum inſtar quas in *Diſſect*: 29. infra exhibenda in pulmonibus viri de febre tertiana mortui difficulter aliquando inter dormiendum ducentis ſpiritum, inveni, quem in retroceſſionem difficulter admodum, vix omnino exterius cum digito facta expreſſione adigere valebam.

Auricula ſiniſtra cordis vix quartam amplitudinis partem *dextræ* æquabat, de cujus conformationis ratione antea in alia Obſervatione aliquid notavi, plura impoſterum data occaſione additurus: Obiter hic notando quod in Vitulis (Ovibus etiam ut memini) *Vena azugos* (quæ in illis ſiniſtrorſum,

ſum, immediate ſub *Aorta* ad octavam *vertebram* deorſum deſcendit, aliter, & modo plane contrario quam in homine) poſtquam à loco iſto ſurſum ad coſtam quintam in conſpectu aſcenderit, ſenſim deflectens, ſanguinem ſuum vel in *auriculam* ſiniſtram, vel in *venæ pulmonalis* finem fundere videtur, unde haud inani prorſus forſan conjectura innoteſcat nobis ratio, quod in illis animalibus *auricula* iſta proxime ad magnitudinem *dextræ* accedat, licet quoad fibrarum carnearum ordinem, & cordi adhæſionem multum ab ea abludat.

Ultra *tunicam mucoſam* palatum ſuperius terminantem, ex cujus medio pendet *Uvula*, prope ad ductus duos in nares patentes utrinque conſpicitur *foramen* ſatis amplum, *canaliculum* conficiens cartilaginoſum ſemuncialis, & aliquid amplius longitudinis, per fiſſuram inter *oſſis cuneiformis*, & *temporum* confinia paulo cis foramen ſextum rotundum baſi calvariæ, (per quod intrat arteria carotidis ramus utrinque per *duram matrem* inſumptus,) excavatam, productum, & in *Tympano* terminantem. Margines hujus canaliculi membrana *Palati* laxa & fungoſa undique obducuntur, ita tamen ut in eum facilis aeris ingreſſus concedatur. Hunc in dextro latere humoribus ſanioſis plenum reperi, qui cum inibi immiſiſſem ſtylum copioſe exeſo tympano

pano in parte ejus inferiori effluxit; aliquid hujus humoris etiam in ſiniſtro ductu offendi, ſed tympanum integrum erat.

In capite omnia naturaliter ſe habebant. Nulla omnino aqua in ventriculis, vel ulicubi innatante.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

De Teſticuli ſiniſtri Hydrope cum Diſſectione.

ÆGrotanti Fœminæ cuidam quadragenariæ vultus floridi, & aliter vegeti, immenſo Abdominis tumore diu oppreſſæ, & jam vomitionibus profuſiſſimis, cum ingenti ſpirituum languoribus laboranti advocatus, remedia quæ maxime ei prodeſſe ſperabam, uti ſunt cordialia cujuſcunque generis, & opiata unde ſymptomatum aliqualem mitigationem ægra percepit, præſcripſi; quibus tamen non obſtantibus viribus fractis & ſenſim deficientibus poſt biduum amplius vivere deſiit.

Diſſectio Septima. Jun: 18. 1698.

Aperto Corpore ſequentia adnotavi.

Omentum in carnoſam plane pro maxima parte degeneraverat ſubſtantiam, & in media ſui parte portio ejus per rupturam *Peritonei*, eo loco ubi vaſa umbilicalia ingredi ſolent, factam tranſiverat, & ſacculum amplum externe formaverat, quam per inciſionem examine facto, variis cavitatibus diſtinctis liquoribus diverſis maxime

me inter ſe diſcrepantibus, aquoſis (*viz.*) gelatinoſis, pultaceis, & lacteis refertam reperi.

Ex hoc ſacculo prominulo per ſex circiter ſeptimanas ante obitum exſudaſſet continuo per foramina quædam externe ſatis conſpicua humor, nunc tenuis nunc craſſior, unde quotidie facto diſpendio, vires magnopere fuiſſe diminutas, cum illi tunc temporis medicinam facerem, animadvertiſſem.

Ovarium ſiniſtrum in ingentem molem excreverat, ex variis liquoribus diſtinctis tot loculis contentis compoſitam. In aliquibus erat humor mere aqueus, in aliis gelatinoſus, in his ſebi inſtar, in illis cremoris inſtar lactis; In multis locis ſubſtantia glanduloſa conſpiciebatur, in aliis plane carnea; quod tandem maxime obſervatu dignum fuit, hi varii liquores & ſubſtantiæ mire non ſolum inter ſe complicabantur, ſed etiam in alterutrorum gremio incluſi quaſi diſtinctis folliculis continebantur.

Vaſa huic moli ſanguinem aſpectantia admodum ampla erant, exportantia admodum exigua modo gravidarum plane contrario. Hic enim maxima ex parte deficiebat humorum advectorum, retro circulatio.

Quod proxime in hoc corpore noſtræ

ſe

ſe ſubjecit notitiæ fuit viſcerum in eo ſtatus, qui ſane primo adſtantium intuitu ob ſitum eorum adeo à naturali deflectentem plane abfuiſſe videbantur.

Jecur enim cum inteſtinis ſub Diaphragmate, in ſiniſtro hypocondrio, tam alto aſcendiſſet, ut illam thoracis partem ſub mammilla ſiniſtra jacentem ictu transfigere inſaucio Diaphragmate impoſſibile plane credidiſſes.

Cauſa mortis tam ſubitaneæ ſpatio (*viz.*) bidui contingentis oculis ſtatim ſe videndam obtulit. Eo enim in loco ubi inteſtinum *Duodenum* ſub *Colon ventriculum* prope, de recto ſuo itinere tranſcurrit, ob loci anguſtiam, & ſuperincumbentis molis hujus pondus, penitus ſphacelatum repertum eſt; unde vomitiones immanes cum extremis cruciatibus, & ſpirituum languoribus non niſi cum morte deſinentes ſubortæ ſunt.

Pendebat ovarium hoc cum integris humoribus, libras 37, cui æquale quoad pondus à nemine, quod ſciam hactenus obſervatum eſt.

Alterum ovarium magnitudinem naturalem longe ſuperabat, unica ei adhærente prominula lymphæ tenuis ſemilibram continente veſicula.

Uterus interea optime conſtitutus eſt.

Tubæ

Tuba iſtius lateris cum teſticulo craſſitiem ordinariam ſubdupla ratione ſuperavit.

Dum aliquot *Veſicularum* prædictarum manubus contrectarem, conſpexi ſubſtantias quaſdam teretes, & albas, longitudinis diſparis, quaſdam unciam unam, alias duas, alias tres æquantes, at craſſitie haud multum diſcrepantes; quas ſi microſcopio obſervaveram, vermes ſui generis extitiſſe forte reperiſſem, non autem tunc temporis aliquæ in mentem meam de iis venerat ſuſpicio.

OBSERVATIO XXXIV.

De Fœmina Lue Venerea ab Infante lactato infecta.

FOemina quædam ab infante quem lactaſſet, cujus matrem morbo venereo laborantem, haud ita pridem reſtitueram, & cujus hiſtoriam alibi tradere decrevi, eodem morbo afficiebatur.

Ulcus carioſum maxillæ ſiniſtræ inſidebat: mollities quædam lata & quaſi inflata, in bregmate ſiniſtro, oſſe proculdubio ſubtus carioſo (ut poſtea conſtabat) conſpiciebatur. Extremitatibus *Oſſis humeri* & *Cubitus* ubi invicem articulantur adhærebant nodoſæ quædam *protuberantiæ*. E *Tibia* dextra malleolum verſus, magnæ circumferentiæ nodus ſe extrinſecus extruſerat; & omnes hæ partes hujuſmodi male affectæ præcipuè internoctu, dum lecto incaleſcebat, doloribus carnificinis excruciabantur.

Spatio trium vel quatuor annorum ſalivationes varias per inunctiones, & fumigationes, ſudationes etiam frequentes & profuſiſſimas juxta cujuſque genium quos ſuper hoc affectu conſulerat fruſtra ſubiiſſet. Tandem magnopere debilitata ad me venit. Ego illi virium ſuarum debilitatem

litatem (& ita revera ſe res habebat) objiciens, & modo eas lacteaDieta, vel cujuſvis alius methodi beneficio forte recollegiſſe reſcirem, opem pollicitus blande illam remiſi. Poſtea ullius moræ pertæſa, ſe ad Chirurgum contulit, & illum primo adventu monuit, ſe denuo aliam ſalivationem ſubire ſub ejus auſpiciis, utcunque reluctante illo, paratam & determinatam veniſſe, utcunque ſe haberet eventus. Precibus & pretio ille victus tandem auſcultavit, & omnibus ut ſolent prævie diſpoſitis, denuo inunctione mercuriali curatio incepta eſt.

Ptyaliſmus regulariter oriebatur, & per ſeptimanas tres ita procedebat; poſt quod ſpatium Diarrhæa invadente ego accerſitus, quovis modo illi ſuccurrere conatus ſum; &aliquoties morbum medicamentorum ope cohibebam; cum autem multoties recidivam pateretur, majori indies virium è morbi contumacia facto diſpendio, ſupremum diem obiit.

Poſt mortem horarum paucarum ſpatio corporis partes ubi virus inſederat inſpeximus, & ſequentia paucula obſervavimus.

Diſſectio Octava. Jul: 3. 1701.

Partes *Oſſis humeri* nodoſas licet inæquales, & aſperitatibus notatas, ac antea cum caries eas infeſtaverat, nihilominus

ſanas penitus & *perioſteo* de novo involutas invenimus; unde plane conſtat oſſa carie affecta inſenſibiliter ſanari poſſe, nulla omnino interveniente partium ea immediate involventium ſolutione. Dico poſſe fieri, non quod author alicui eſſem, ut ſemper hiſce caſibus id committeret ſimplici naturæ molimini, cum longe citius tutiuſque chirurgicis auxiliis id effectum vidimus.

Caries *oſſis bregmatis* eadem facie, ac dum in vivis erat ægra, apparebat, aſpera (*viz.*) & nigra, toto nempe illo ſpatio quo nudum aeri exponebatur cranium, aperto autem capite non ſolum ad trium digitorum tranſverſorum latitudinem circum circa ſub *pericranium*, licet abſque ulla *oſſis* iſtius coloris naturalis mutatione (ob denegatum proculdubio eo loci aeris ingreſſum) ſe diffudiſſe, quin etiam per ſingula integumenta, imo uſque intra cerebrum ipſum penetraſſe cernimus. *Dura Mater* nigra, & ſanie ichoroſa diffluebat. *Pia Mater* etiam ita exeſa conſpiciebatur, ut per totam *corticis* ſubjacentis ſubſtantiam ſimiliter exeſam uſque ad *medullam globoſam*, quam etiam vitioſe coloratam reperimus, virus tranſiverat. Et quod vix conjiceret quiſquam hiſce non oſtantibus ægra interea expers erat omnis doloris, & aliquarum animalium functionum læſionis, per totum morbi hujus decurſum.

Sinus

Sinus frontales ampliores utrinque unus, quam unquam in corporibus humanis obſervavi, ſepto oſtio interclufas, gelatina, ſeu humore mucoſo iſtius inſtar qui è membrana narium pituitoſa emungi ordinario vidimus repletas, & ductu ſatis amplo utrinque diſtincto in ſuperiori naſi parte inter oſſa ejus ſquammoſa, (quæ dum probam argenteam per hos ductus demitterem, nuda, eroſa membrana glanduloſa ſeu pituitoſa, quæ aliter ea integere ſolet offendi) terminantes. *Membrana* etiam quæ intus hos ſinus oblinit, vix oculis vel digito patebat, num ob naturalem ejus tenuitatem vel exeſionem incertus ſum, cum *cavitates* has non ſatis hactenus rimatus eſſem.

Pia Mater, uſque in ſuperficie Ventriculorum interna firmam & tenacem digitis contrectandam ſe monſtrabat, ultra quod unquam viderim, vel denuo accidere credam, niſi tam brevi ſpatio poſt mortem cadaveris inſpiciendi concedatur copia.

Nullam omnino aquam in cerebri ventriculis, ne quidem in infundibulo, vel flatu detegendam invenimus, nec unquam in cerebro eorum, qui affectuum aquæ extravaſationem non neceſſario parientium expertes moriuntur, uti olim innui, obſervaveram.

Hoc *cranium* licet fœminæ gracilis, juvenis, & exiguæ ſtaturæ, craſſitie omnia quæ unquam, (& ea non pauca,) hactenus me ſecuiſſe licuit, magnitudine longe ſuperabat; omni etiam vel ſuturæ veſtigii expers erat.

OBSER-

OBSERVATIO XXXV.

De Febre quotidiana lethali.

ACcerſebar ad Architectum quendam febre quotidiana per aliquot ſeptimanas gravatum, & tantum non confectum. Vomitum ſtatim lenem, cum nondum penitus deficerent vires, præſcripſi, qui effectum ſatis benignum habuit; Poſtea cordiali in Ventriculi ſolatium præſcripto uſum *Cort: Peruv:* conſului. Nulla de ejus integritate ſuborta mecum ſuſpicione, cum de Pharmacopolæ cui è longo jam tempore adſueverant, probitate, & in arte ſua peritia, ſatis ſibi (ut mihi libere retulerunt) cônſtaret. Poſt triduum me vocarunt denuo rebus ægroti peſſum euntibus. Hominem moribundum reperi, non ita diu poſtea mortuum. Pulverem, cum ejus ſpecimen in cortice integro exigerem, carioſum & nullius pretii inveni, ita ut nullam omnino efficaciam contra hunc morbum, (& proinde in ejus delectu maximopere cavendum eſt) efficaciam obtinuiſſe experientia hac vice, ut ſæpius ante ediſcebam.

Diſſectio Nona. *Nov:* 13. 1701.

VEntriculus cujuſvis liquidi vel ſolidi expers flatubus magnopere diſtendebatur. *Vaſa* ejus quaquaverſum admodum ſanguine turgebant. *Hepar* coloris erat ſubviridis inſtar olivæ, admodum autem ſanum.

Veſica fellis liquor coloris erat ſubviridis, ejuſdem propemodum ac *Hepatis*. Conſiſtentia ejus viſcida erat, nihilominus per cervicem ejus levi facta compreſſione facile ſatis tranſiens.

Ductus ejus in *Inteſtinum* patebat quatuor digitorum latitudine infra *Pylorum*.

Pancreas ſubalbi erat coloris admodum ſanum, verſus illam ejus extremitatem qua ad ſplenem alligabatur maculis quibuſdam albiſſimis notatum.

Latus ejus inferius undique pinguedine tegebatur.

Altera ſua extremitate verſus *Inteſtinum* gracileſcebat, & poſtea incraſſata mollior evaſit ejus ſubſtantia.

Ductus ejus in *cholodocum* apertus erat, at ſuccum pluries fruſtra id conatus nullum exprimere valebam.

Renes bene conſtitutierant.

Teſticuli ne quartam ordinariæ ſuæ magnitudinis partem ſortiebantut, ſiniſtro vix

ad

ad avellanæ communis magnitudinem attingente; uterque flaccidus ac ſi è pelliculis, quibuſdam invicem convolutis ſolum compoſitus, cum tamen uxorem haud decimam à puerperio ſeptimanam tranſiiſſet, & infantulo ſatis vegeto ubera ſua admoventem conſpexeram.

Epididymi cum vaſibus *deferentibus* naturaliter, quoad magnitudinem & conformationem ſe habebant.

In Thorace.

Thymus major quam in aliquo iſtius ætatis antea unquam vidiſſem.

In *Pericardio* exigua aquæ portio.

Pulmonum lobi in ſiniſtro latere duo & tres in dextro ut ſolet.

Lateri unus *lobus* tenaciter adhærebat.

Loborum extremitates cor contegentes utrinque verſus mediaſtinum albæ, & penitus exangues flacceſcebant; ſuperius autem cor verſus maculis formæ irregularis coloris albi & cerulei invicem inſtar marmoris commixtis ſplendeſcebant; *loborum* initia ſanguine adeo conſtipabantur, ut ibi per aliquod ſpatium plane livebant.

Diſſecta *Pulmonum* profundius ſubſtantia, confertim erumpebat ab ejus quaquaverſum *Veſiculis* liquor ſpumoſus, coloris

quibuſdam

quibuſdam in locis aliquantum flaveſcentis, aliis albeſcentis, qui apertis bronchiis, ut ſupra in alia Obſervatione recenſitum eſt, copioſe in ea diſtillabat.

Plurimis in locis in principio *loborum*, in extima eorum membrana conſpiciebantur elevationes quædam iſtarum veſicularum inſtar (quarum in *Diſſect:* ſexta mentionem feci,) ſemuncialis latitudinis, aere, (ut ex earum ſectione conſtabat) ſolum plenæ.

Aorta omnis pene ſanguinis erat expers.

Polypus ex Auricula dextra in *ventriculum* dextrum, inde in *Arteriam pulmonalem* ad ſextam unciarum longitudinem tranſcurrebat; unde proculdubio oriebatur magna illa qua frequenter premebatur inter dormiendum reſpirationis difficultas, è qua vix ante liber evaſerat quam ſuſpiria ſatis profunda multoties repetita duxiſſet.

Foramen Ovale ſuperna ejus parte ſummitate erat apertum.

Protuberantia Cl: *Lowero* primo obſervata cultro diviſa, poſt internam ejus membranam diſſectam ſubſtantiam pinguedinoſam ſolito durioris ſubſtantiæ exhibebat, at nunquam deeſſe, variæ licet craſſitiei (prout magis vel minus pinguedine abundent homines) uti jamdudum obſervavi.

Unicum hoc loco haud inutiliter omni-

no

no inſeri mecum judicavi in *Diſſertatione* prægreſſa de circulatione ſanguinis in *Embrione* prætermiſſum, *Foraminis ovalis* (*viz.*) partem iſtam quæ *Tuberculum* præfatum poſtea conſtituit, mutationem toti iſti Auricularum utrarumque interſtitio ſeu parieti, ubi *foramen* ſe aperit, communem, tractu temporis poſt natum infantem ſubire, ita ut ab infima fere iſtius marginis parte paulatim tandem in ejus ſupremam aſcendat.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVI.

De Apoſtemate Ventriculi mortifero.

ACcerſebar ad Puellam ſex annos natam, quæ ſpatio ſemeſtri per vices ſtomacho ægrotaverat, & poſtquam tandem de variolarum ſpuriarum, vulgo *Swine Pox*, convaluerat, in vomitionem violentam incidit, quam per aliquot dies præceſſerat immanis Cephalagia, & quam comitabantur febris, ſitis continua, ſtomachi ægritudo, & vigiliæ pertinaces; miſſionem ſanguinis ad paucas uncias conſului, & poſt clyſteris injectionem (alvus enim erat ſicca) hauſtum Paregoricum ſequentem.

℞ *Aq: Lact: alex:* ℥ i ß. *Diacod:* ℥ ß. Ms. f. hauſtus. Parum vel nihil dormiebat, nocte igitur ſequenti hauſtui adjeci *Laud: liq:* gr. viii. quem ſequutus eſt ſomnus exiguus, inſignis etiam doloris remiſſio, uti etiam vomituritionis.

Recrudeſcebant omnia ſymptomata poſt narcotici vim difflatam, & proinde ejuſdem repetitionem, & doſin ejus aliquanto auctiorem, prout illis commodum videretur, ſuaſi.

Hinc omnia pacata erant; cæterum indies debilior facta poſt quatriduum vitam cum morte commutavit. Urina

Urina quæ per totum morbi decurſum parca, erat magnum deponebat ſedimentum conſiſtentiâ puris referens, & ſubflavi coloris, at ſub finem parcius adhuc reddebatur.

Die ſequenti Cadaver aperui, quo ſequentia occurrebant.

Diſſectio Decima & Ultima Mart: 17, 1700.

Aperto *Abdomine* conſpiciebatur *Ventriculi* fundus ſiniſtrorſum ſummopere inflammatus, & paulo ulterius ubi verſus ſplenem vergens, mediante *Omento*, iſti *pancreatis fini*, qui ſpleni alligatur quodammodo incumbit, puris ingens quantitas per aperturam quandam ulceroſam duos digitos tranſverſos longam, ibi loci ex Apoſtemate rupto factam, ingens effundebatur, quæ omentum interjacens adeo eroſiſſet, & penitus conſumpſiſſet, ut vaſa à *Ventriculi* fundo, *omento*, & *pancreate* exorta *venam ſplenicam* ingreſſura nuda oculis ſubjiciebant.

Pancreas altera extremitate ſua quæ latior eſt, *Duodeno* adhærebat, & hic loci portionem ſui quandam à ſe diſterminatam, (uti non ſemel antea obſervavi) ac ſi eſſet alia glandula ſubſtantiæ cum priori prorſus ſimilis, verſus Pylorum aſcendentem dimittit.

Hepar

Hepar ſanum erat.

Veſicula fellis bile turgebat, & digitis compreſſa liquorem ſuum facilem in *Duodenum* tranſmiſit.

Ductus Cholodocus iſto Inteſtino inſertus vix unciam unam à pyloro diſtabat, quod antea mihi conſpexiſſe haud contigit; nullum autem bilis in ventriculo reperire potui veſtigium; aliter forſan non levi conjectura morbum ab iſtius acrimonia originem ſuum tuliſſe credidiſſem.

Porus bilarius ductum communem introibat digiti unius latitudine ante ejus in Inteſtinum inſertionem.

Ren ſiniſter ſpleni inflammato (cui ſepe vidi annexum) vicinus admodum tumebat & inflammabatur. Inde paucitas urinæ per totum ægrotationis ſpatium, quæ etiam ſedimentū ejuſdem coloris & conſiſtentiæ, cum pure ex apoſtemate effuſo depoſuit.

Aperto *Duodeno*, quicquid bilis ibi reperiebatur intensè flaveſcebat, etiamſi eodem tempore quicquid à *Veſicula fellis* per compreſſionem fundebatur viridis erat; adeo, ut credibile eſt, bilem iſtam vel ab admiſſione cum altera bile à *ductu hepatico* huc confluenti, vel cum *ſucco pancreatico*, vel cum utriſque colore fuiſſe mutatam.

Ventriculus nihil in ſua cavitate habuit, niſi materiæ purulentæ aliqualem portionem.

Membrana

Membrana ejus interna humore mucilaginoſo admodum ſcatebat.

Vena coronaria ventriculi cum ſuis diſtributionibus deorſum tendentibus inſtar arborum ramificationum eleganter apparebat, ſtagnante in iis ſanguine ob ventriculi parietum inflammationem, & figuram illam ab egregio *Veſalio* delineatam exactiſſime referebat. *Glandulæ Meſenterii* naturaliter ſe habebant; *cæcum* inteſtinum tres uncias longum erat. P. 568. Fig. 14.

Capſulæ atrobilariæ tota ſua ſubſtantia concava renum ſummitati adhærebant. *Siniſtra* quæ iſtius lateris reni adnaſcebatur inflammata etiam erat, *dextra* à rene avulſa albida apparebat, & per mediam diſſecta pelvim quandam, in qua exigua ſanguinis erat portio, exhibebat.

Inflammati erant *Pulmonum lobi* utrinque in ſuo exortu, ubi diſſecti interne admodum ſanguinolenti apparebant, itidem & flatulenti.

Pericardium plurimum in ſe aquæ continebat.

Glandulæ æſophagei numero erant quinque, quarum quatuor quæ minores erant, æſophago in ſuo deſcenſu verſus *pulmonum* initium adhærebant; altera quæ cæteris ſimul unitis major erat, caſtaneæ nucis majoris magnitudinem habuit, & phaſeoli figuram, *pulmonum* ſubſtantiæ eo loci ubi

aſpera

aſpera *arteria* in *bronchia* bifurcatur, continuabatur, & forſan cum in tumorem inſignem excreſcere à morboſa aliqua cauſa contingat, anhelitus ſtrictioris cauſa exiſtat, uti accidiſſe videtur in caſu in *Miſc: C: Decur:* 3. *An:* 3. *Obſ:* 115.

Æſophagus infra *pulmones* deſcendens *Aortæ* adhæret mediante *Pleura*, quam cum ab *Aorta* ſeparaveram, eo ejus latere quo ei adhæſit, uti etiam in *Diſſectione* prima cujuſdam *Aſthmatici* alia membranæ iſtius parte ſupra obſervavi; p. 171. *glandulis* quamplurimis toto ſuo ductu ubique conſitam inveni, num lymphæ cujuſdam reductioni ſolum, num per ductus in altera illius interna (*viz.*) ſuperficie terminantes humectationi ejus juxta *Cl: Stenonis* ſententiã, vel halituum aliquantulum condenſatorum admiſſioni, uti recentioribus quibuſdam placuit, inſervientibus, quas & *Peritiſſ: Vir Fr: Ruyſch*, ſe mentis ſolum acie hactenus vidiſſe ait, me nondum ſatis compertum habere fateor.

Reſponſ: ad Epiſt: quintam D: Frentz.

Externa corporis ſuperficie variis in locis conſpiciebantur foveæ à variolis ſupra notatis relictæ, longe ampliores & profundiores quam ſolent eſſe aliæ à variolis genuinis relictæ, & abſque ulla rubedine etiamſi recenter factæ.

Ligatis

Ligatis *Venæ Cavæ* trunco deſcendenti & *Arteria pulmonali* ultra *canalis* ſeu *Tubuli arterioſi* exitum, dum *cavæ* truncum aſcendentem inflarem, flatum fortiter ex *Aorta* in carotides & cervicales *Arterias* erumpentem conſpexi, & vice verſa quoties *aortam* inflaverim, ligato etiam *Tubulo arterioſo*, ventriculum dextrum, cum *auricula* ejus inflatum reperi; hinc *foramen Ovale* apertum aliqua ex parte certo noveram, & poſtea comprobatum habui.

Hoc etiam obiter obſervavi, nempe dum Cor, cum vaſis ſuis inflarem, ſpiritum è *Vena cava* libere in ventriculum ſiniſtrum, & *Aortam*, prætermiſſa *Auricula* ſiniſtra tranſiiſſe.

Cum interea dum inflaverim *Venam pulmonalem*, flatum non ſolum pertranſire in *Auriculam* ſiniſtram, & *Ventriculam* etiam ſiniſtram quod facile eſt, ſed etiam mediante *foramine Ovali* fortiter in *Auriculam* dextram & *Ventriculum* dextrum.

Etiam à trunco *Aortæ* deſcendentis flatum in *Ventriculum* ſiniſtrum & *venam* etiam *pulmonalem* non obſtantibus utriuſque earum *valvulis* permeaſſe obſervavi.

Vaſa intra cerebrum ſanguine plurimum turgebant; cum autem nullam prorſus functionum animalium per integrum mor-

bi ſtadium læſionem annotaſſem, quæ olim lingua vernacula circa Partis hujus ſtructuram publici juris feci, ſi ab ullo hac vice ulteriori ejus ſcrutinio proſequendo deſiſtam, mihi veniam, uti ſpero, poſſint impetrare.

FINIS.

ERRATA.

P*Ag.* 5. *l.* 12. *lege* acceſcens, *p.* 7. *l.* 24. *l.* demum, *p.* 9. *l.* 17. *l.* infructuose, *p.* 27. *l.* 13. *l.* nullam, *p.* 49. *l.* 10. *l.* profuso, *p.* 52. *l.* 7. *l.* rigiditate, *p.* 53. *l.* 2 *l.* conabar, *p.* 53. *l.* 8. *l.* putrilaginoſus, *p.* 56. *l.* 22. *l.* lecto, *p.* 58. *l.* 13. *dele* &c, *p.* 59. *l.* 16. *l.* lipothymia, *p.* 60. *l.* 15. *l.* vomitiones, *p.* 61. *l.* 9. *l.* feſtinantiori, *p.* 103. *l.* 4. *pro* ſingat *l.* ſimulet, *p.* 120. *l.* 22. *pro* abhorreſcentia *l.* averſatione, *p.* 211. *l.* 8. *dele* granulata ſeu, *l.* 30. *pro* exſectis *l.* exſectorum, *p.* 213. *l.* 29. *l.* earum, *p.* 215. *l.* 15. *pro* hos *l.* has, *l.* 27. *pro* alium *l.* aliam, *p.* 217. *l.* 18. *l.* magis protenſus.

INDEX.

INDEX.

A

ARticulorum tumor in Rhumatiſmo. Pag. 24
Acidum peccans in Ictero. 45
Artuum impotentia poſt febrem. 81
Aquarum chalybeat: uſus intempeſtivus. ib.
In eorum uſu cautio. 82
Apoſtema in latere poſt Pleuritidem 94
Apoſtema Ventriculi ruptum aquæ pavorem non ſemper adeſſe ex morſu venenoſo canis rabidi. 126
Aſthma Pulmonalis. 132
Aſthma convulſivum. 138
Aſthmatis omnis una cauſa. 145
Acidorum uſus in Aſthmate. 159, 168
Thermarum Bathon: uſus in Aſthmate 167
Auricula dextra Cordis maxima diſtenſio a ſanguine. 177
Auriculæ ſiniſtræ proportio ad dextram, 178, 21
Ardor febrilis internus a Convulſionibus. 182
Acidorum uſus in nauſea Ventriculi. 182
Conjectura circa rationem exudationis ſeri in Aſcitide. 190
Arteriæ pulmonalis magnitudo. 204
Hypotheſis cujuſdam circa circulationem ſanguinis in Embrione 200
Arteriæ pulmonalis ramorum ſtructura in Embrione. 206
Arteriæ hujus conſtitutio in Embrione & adultis 209
Providus naturæ ſcopus in fabrica hujus Art: ib.
Aqua ſpumoſa in pulmonum veſiculis exundans. 233
Renis inflammatio per conſenſum. 237

B

Bilis in cholera non ſemper in culpa. p. 8
Bilis veſica non obſtructa in Ictero. 114
Bilis ſtatus duplex 115
Ejus ſtatus in Embrione.
Unde in veſicam adducitur.

C

Cholera. p. 1
Inter colicam barbarum & choleram differentia. 2
Inter Colicam hyſtericam & choleram differentia. ib.
Choleræ cauſa. 4
Convulſiones aliquanndo cauſa primaria choleræ. 8
Catamenia incerto ordine & cum torminibus fluentia. 9
Chalybis uſus in menſibus nimis & inordinate fluentibus. ib.
Cauſa Menſium inordinate fluentium 10
Cura iſtius morbi. 11
Convulſiones à Lue venerea productæ. 12
Cephalalgia ab eadem cauſa. ib.
Cephalica medicamenta quid proſint in iſto morbo 14
Cura ejus. 16
Cutis dolor. 21
Calamel: uſus in Rhumatiſmo. 27
Convulſiones flatulentæ in Diarrhæa. 30
Convulſiones ventriculi in Diarrhæa. 31
Catheteris immiſſioni in Urethram febris ſupervenienś. 37
Colica cum inteſtini tumore externo. 46
Ejus cura. 47
Colon flatu diſtentum Colicæ cauſa. 46
Cerviſiæ tenuis & aliorum liquorum refrigerantium uſus in internis caloribus male prohibitus.
Convulſiones poſt febrem. 81
Corticis Peruvio uſus in Aſthmate. 141

Coſtarum cartilagines in ſubſtantiam oſteam converſæ. 173
Convulſiones violentæ cauſa mortis. 174
Conjectura circa Auricularum cordis magnitudinis diſcrimen. 177
Convulſiones cauſa mortis. 180
Convulſiones & Tuſſis mutuo ſe invicem excipientia. 183
Sinus Capſulæ Atrobilariæ. 238
Calculoſi diſſecti Hiſtoria. 185
Conjectura circa rationem ſeri tranſudantis in Aſcitide. 190
Cordis & ejus vaſorum ſtructura in Embrione. 197
Circulatio ſanguinis in fœtu. 200
Canalis arterioſi conformatio in Embrionibus. 206
Ejus uſus. ib.
Canalis ex ore in Aurem tranſitus. 220
Cerebrum ulceroſe affectum abſq; ſenſuum læſione. 228
Cerebrum putredine affectum. ib.
Cranii craſſities. 230 *abſque ſuturis.* ib.

D

Differentia inter Choleram & Colicam Bilioſam. p. 2
Differentia operationis ejuſdem Medicamenti 9
Diarrhæa. 17, 66
Dolor cutaneus. 21 *Ejus ſubjectum.* ib.
Ejus cauſa formalis. 22 *Ejus cura.* ib.
Diſtinctio inter Corpora Pyramidalia & Glandulas ſudorificas. 22
Dolor in Rhumatiſmo abſque ullo tumore in principio. 24
Diarrhæa torminoſa albi coloris. 30
Diarrhæa in morbillis. 48
Dolor colicus poſt febrem. 81
Diglutionis difficultas in Hydrophobia unde. 129
Diabetica diſpoſitio in Aſthmate. 138
Diarrhæa in Aſthma mutata. 157

Diſſectio Aſthmatici. 170
Diſſectio Puellæ convulſivæ. 174
Diſſectio Pueri convulſivi. 183
Diſſectio Hydropici. 187
Diſſectio fœtus poſt pauca momenta ſuffocati. 210
Ductus cholodoci terminatio in Embrione. 212
Diaphragmatis ſitus in Embrione. 213
Diſſectio Fœminæ Hydrope teſticuli affectæ. 222
Duodenum ſphacelatum cauſa mortis. 224
Diſſectio hominis febre tertiana extincti. 232
Diſſectio Fœminæ Lue venerea affectæ. 227
Dolores nocturnæ in Lue venerea. 226
Diſſectio Puellæ ulcere ventriculi affectæ. 236

E

Emeticorum uſus in Tuſſi convulſiva Puerorum. p. 92
Empyema. 94
Emetici uſus in Ictero.
Experimenta circa ſanguinis per pulmones circulationem, 153, 154
Errhinorum uſus in Aſthmate. 168
Experimenta quædam circa Canalem arterioſum & cæterorum Cordis vaſorum magnitudinem. 206
Experimentum circa ſanguinis tranſitum per pulmones in Embrionibus. 208
Embrionis Diſſectio. 210
Experimentum circa bilis veſicæ exortum 211
Experimenta quædam in cordis vaſibus Embrionis per flatum facta. 239, 240

F

Febris in Rhumatiſmo non niſi poſt ſecundam V: S: notata. p. 24

Febris intermittens partium dolorificæ irritationi ſuperveniens. 37
Fæces alvinæ albæ in Ičtero hyſterico. 41
Febris vaporoſa. 56 *Ejus cura.* ib.
Febris malignæ ſanatio per ſubmerſionem. 130
Fœtus hærens in ejus tranſitu ex utero. 193
Fœtus ſitus in Utero. 194
Foraminis ovalis ſitus & ſtručtura. 195
Ejus Valvula. 196
Ejus Valvulæ uſus & ſtručtura. ib.
Foraminis ovalis uſus. 197
Apertum aliquando aliqua ex parte in adultis. 200, 234
Ejus ſitus mutatio. 235
Fœcum inteſtinalium conditio in Embrione. 210
Foraminis ex ore in Aures tranſientis ſitus & ſtručtura. 220
Fœminæ ab Infante Lue venerea affečto & lačtato infečtæ hiſtoria. 226

G

Glandularum inteſtinalium uſus. p. 34
Glandulæ meſenterii induratæ. 170
Glandulæ Pleuræ. 171, 240
Glandula pinealis lapidibus referta. 173
Glandularum internæ Membranæ Veſicæ fellis liquor qualis. 190
Uſus ejus. ib.
Glandulæ Meſenterii in Embrione. 212
Glandulæ Renalis ſtručtura & ſitus in Embrione. 213
Earum ſuccus. ib.
Earum vaſa ſanguinea. 214
Glandulæ duæ exiguæ hepati ſubjacentes. ib.
Glandulæ Ventriculi Embrionis. ib.
Glandulæ Æſophagi, 238

H

Hepatis Glandulæ acinoſæ admodum tumefactæ in Corpore Hydropico. p. 8
Hæmorrhagia per Anum. 69
Hyſterica affectio multiformis. 72
Hooping-Cough. 90
Hæmorrhoidum mortificatio. 97
Hydrophobiæ Hyſtoria. 120
Helmontius notatur. 128
Hydrops pectoris in Aſthmate. 150
Hæmoptoe in Aſthmate. 163
Hepar obſtructum. 170
Herma ventoſa in Embrione. 194

I

Inanitio cauſa vomitionnm in Rhumatiſmo. p. 27, 28
Icterus Hyſtericus. 39, 116
Ejus cauſa formalis. 43
Icterus criticus. 112
Icterus eſſentialis. 116
Immerſiones in Hydrophobia. 127, 129
Inteſtini Ilei protuberantiæ ventoſæ. 184
Intumeſcentiæ & rugitus ventris Hyſtericorum cauſa. 185
Inteſtinorum contenta in Embrione. 210
Longitudo eorum. 217
Integumenta cerebri putredine affecta. 228

L

Litus mercurialis uſus. p. 16
A Lue Venerea capitis dolor contumax curata. ib.
Laudani uſus in vomitionibus. 28
Lymphæductus Plexus choroeidis. 173

Mixturæ

M

Mixturæ Riverianæ uſus in cholera. p. 3.
Uſus ejus in vomitione febribus malignis ſupervenient. ib.
Mucus inteſtinorum. 35
Meatus urinarii pruritus. 36
Menſium eruptio poſt V: S: 45
Morbilli irregulares. 48
Morbus canis rabidi aliquando innoxius. 124
Meconium Embrionum. 210
Meſocolon quid. ib.
Meſenterium quid proprie. ib.
Meſenterii Glandulæ in Embrione. 212
Membrana tenuis cerebri in interna Ventriculorum ejus firma & tenax. 229
Membranæ pulmones veſiculoſa conſtitutio. 234

N

Nodorum Venereorum Sanatio. p. 226
Nutrix infecta ab Infante. ib.

O

Opii uſus in cholera. p. 7
Ejus neglectus periculoſus in illa. ib.
Obſervationes de duobus colica extinctis. 8
Opii uſus fruſtraneus, unde. 19
Opii uſus in flatulentis convulſionibus. 32
Odor graveolentium hyſtericis aliquando noxius 43, 110
Ophthalmia contumax. 63
Odorum effectus varius. 79
Opiatorum varius effectus. 108
Opiatorum uſus in Aſthmate. 144
Ovarii magnitudo in parvula. 176
Omenti ſitus inverſus. 189

Oſſis

Oſſis Pubis arcta connexio in fœminis. 193
Omenti conditio in fœmina Hydrope Teſticuli extincta. 222
Ovarii hydropici contenta. 223
Vaſa ejus. ib.
Pondus ejus. 224
Omentum exeſum. 236

P

Purgatio in Diarrhæa. p. 19
Corpora pyramidalia ſubjectum doloris in cute. 21
Purgatio in Rhumatiſmo. 27
Pruritus in meatu urinario. 36 *Cura.* 38
Proſtatarum fœminarum ſuccus vitiatus. 36
Pruritus in Ictero. 43
Puſtulæ acuminatæ in Morbillis. 49
Ptyaliſmus hyſterica. 72
Paralytica affectio poſt febrem. 81
Puſtularum ulceroſarum in variolis ſanatio. 89
Pleuritis male judicata. 94
Purgationis violentæ ſymptomata periculoſa. 106
Pylorus ſchirroſus. 170
Pancreas ſchirroſum. ib.
Pulmones Diaphragmati adhærentes. ib.
Pulmonum ſtatus in Aſthmatico diſſecto. 171
Pleuræ Glandulæ. ib. *& earum uſus.* 240
Protuberantiæ annularis ſtriæ. 173
Pancreatis ſtatus in corpore convulſivi diſſecti. 176
Plexus choroeidis glandulæ ſero refertæ. 178
Eorum Lymphæductus. 173
Pancreatis induratio in hydropico. 189
Hepar exangue. 189
Hepar maculoſum. ib.
Pulmonum Aqua ſpumoſa ſubalba in Hydrope. 191
Placentæ Uterinæ ſeparatio ab Utero exanguis. 194
Proceſſus Peritonei ſtructura. ib.
Pulmonum ſubſtantia in Embrione. 195, 218

Eorum gravitas. ib.
Pancreatis ductus terminatio in Embrione. 212
Pylorus quid. 214
Venæ Portæ ingreſſus in hepar in fœtu vitulino, ejus conformatio. ib.
Sinus ejus primus ſeu minor. ib.
Ejus ramificatio. ib.
Eadem ejus conformatio in fœtu humano. ib.
Pulmonum interſtitia. 219
Pulmonum inflatio & exſiccatio. 197
Pulmonum externæ membranæ veſiculoſa expanſio. 219, 234
Protuberantiæ Loweri *ſtructura.* 234
Ejus Mutatio. 2
Protuberantia ductus bilarii, Pancreatis & ſeminal vaſorum.
Pulmones Embrionis in Aqua ſubſident. 195
Pia mater putredine affecta. 228
Pia mater viſibilis in ventriculis cerebri. 229
Pancreas pinguedine tectum. 232
Polypus in Auricula Cordis dextra. 234

R

Rhumatiſmus. p. 24
In Rhumatiſmo ſeri lactis uſus. 25
Symptoma inſuetum in Rhumatiſmo. 26
Renis ſiniſtri tumor & inflammatio in corpore convulſivæ diſſecto. 176
Ren Urina diſtenta in convulſivo. 185
Ruptura umbilicalis. 222

S

Sanguinis miſſio in cholera. p. 3
Spirituum animalium motus irregulares aliquando cauſa choleræ. 8
Sanguinis fluxus ab irregularibus ſpirituum animalium motibus. 11

Sanguinis

Sanguinis inflammationis ſignum in Rhumatiſmo non niſi poſt ſecundam V: S: in ſanguine notatum. 24
Seri lactis uſus in Rhumatiſmo. 25
Sedes alvinæ albi coloris. 31, 32, 33. *Cauſa.* 34
Sedes nigri coloris. 33
Sanguinis miſſio in Ictero Hyſterico proficua. 44
Symptomata vaporum eorum in febre maligna æmula. 60
Eorum explicatio. ib.
Scorbutus. 100
Ejus Diagnoſis. 102
Ejus cum aliis affectibus ſimilitudo. 103
Specifica in hydrophobia. 131
Sanguinis circulationis per pulmones modus. 153, 219
Sanguinis ſputum in Aſthmate. 163
Sanguinis circulatio in Embrione. 200
Sinus portæ. 215
Ejus ſtructura & foramina. ib.
Sinus duo in Oſſe frontis in nares patentes gelatina pleni. 229

T

Tumor articulorum in Rhumatiſmo. p. 24
Tumor faciei in morbillis inſignis. 50
Tertiana critica. 68
Tormina ventris. 69
Tuſſis convulſiva. 90
Tranſlatio humorum in morbis varia. 96
Inſtantiæ variæ. 98, 99
Tarantulæ morſus veneni gradus diverſi. 125
Tuſſis humida in Aſthmate. 148
Tuſſis voluntaria in Aſthmate. 158
Tubæ uterinæ magnitudo in parvula. 176
Ejus ductus. 177
Tuſſis & Convulſionis reciprocationes. 183
Torminum convulſivorum cauſa inſueta. 184

Tuberculi Loweri *ſitus & uſus.* 197
Tubulus venoſus. 215
Ejus ſitus & magnitudo. ib.
Thymus magnitudo & ſitus in Embrionibus. 217
Tympanum exeſum. 221
Teſticulus hydropicus in fœmina. 222
Teſticuli admodum parvi & flaccidi. 233

V

Ventriculi ſideratio in vomitione. p. 7
Vomitiones in Rhumatiſmo inſtar choleræ. 27
Vini Gallici rubri uſus in vomitionibus. 28
Ejus quantitatis egregia epota abſque ulla, vel leviſſima ebrietatis nota in debili, vel iſtius per urinam redditione. 28, 29
Vomitiones inanes in Diarrhæa. 31
Vaſorum ſanguin: diſtentio menſium obſtructionis cauſa. 45
Veſicatorii Empl. effectus inſolitus. 74
Vaporum *ita dictorum cauſa.* 78
Venæ ſectionis effectus in hyſtericis. 80
Variolæ irregulares. 86
Veneni morſus canis rubidi gradus diverſi. 125
Uſtiones in Hydrophobia quid proſint. 127
Vomitiones in Hydrophobia uſus. 130
Venæ ſectio in Aſthmate. 134
Vomitus uſus in Aſthmate. 158, 167
Veſica fœtus admodum diſtenta. 175
Ventriculorum cerebri unus aquâ ſcatens alter vacuus. 178
Ureter urina admodum diſtentus in convulſivo. 185
Veſiculoſa textura membranarum. 188
Veſica bilaria vacua. p. 189
Veſicæ bilariæ internæ membranæ glandulæ tumefactæ. 189

INDEX.

Uteri craſſities in gravida. 194
Valvula foraminis ovalis ſitus & ejus mutatio. 198, 199
Ejur ſtructura. 205
Ventriculi Embrionis contenta. 214
Veſica bilaria in Embrione. 211
Radices ejus. ib.
Ejus contentum. ib.
Ejus Membranæ internæ Glandulæ. ib.
Ventriculi Embrionis Glandulæ. 214
Vena umbilicalis in hepar introitus. 215
Veſicularum ſeminalium ductus in Embrione. 217
Veſica urinaria ſtatus in Embrione. ib.
Urachi ductus ſeu perforatio detectus.
Auricularum cordis diſparitas. 219, 178
Venæ Azygos ſitus & ſiructura in vitulino fœtu. 219
Auricularum ejus magnitudo. 220
Viſcerum ſitus in fœmina quadam. 224
Ulcus cerebri abſque ſenſuum læſione. 228
Ulcus ventriculi lethale. 236
Ventriculi Ulcus. ib.
Veſiculæ fellis ductus prope pylorum. 238
Vena coronaria ventriculi per accidens pulchre conſpicua. 238
Variolarum ſpuriarum foveæ ab iis genuinarum diſcrimen. 239

FINIS.